
SCANDER
BEGVS
POEMA
Blanchet in.
Carr fecit

IOANNIS
DE
BVSSIERES
è Societate IESV
SCANDERBEGVS,
POEMA.

Editiò altera longè emendatior.

Cui accesserunt aliquot Poëmatia.

Sumpt. GVILL. BARBIER, IOANNIS GIRIN, & FRANC. COMBA in vico Mercatorio, ſub ſigno Prudentiæ.

M. DC. LXII.

LVDOVICO XIV.

REGI CHRISTIANISSIMO.

CARMEN.

POſtquam iras belli extinxit, gentéſque feroces
Cõciliauit Amor; thalamíſq iugalibus auctrix
Pax tandem Cœlo in terras optata reuertit.
Gaudere Europa, & latè quà fluctibus Iſter
Porrigitur, fremere in Turcas, Aſiæque minari.
Sequana præcipitans vndas, Batiſque citatis
Vorticibus, ſeſe curſu prauertere tentant,
Neptunóque prior pacis noua nuntia ferre.
Quin longè exultans impellit Viſtula pontum,
Nec Volgam, Tanaimve timet; quanquam ille ſuperbit
Amnibus, & curſu immenſus, rapidúſque fluento,
Oſtia in Oceanum decies ſeptena refundat.
Iámque Tethim vaſtam emenſus, quà Mexica ſurgunt
Mœnia, lætitiam Genius ſub pectora miſcet.
Pax ſecura ſui, Bello inſultare furenti
Auditur; circùm Riſus & Gaudia plaudunt.

Iam satis est, inquit, fuso iam sanguine campi
Plus satis exundant, nimis heu patrare furori
Permissum! nimis heu data longa licentia ferro.
Nunc iustas patiere vices, nunc corpore centum
Vincla feres, Ibis tandem sub Tartara praeceps;
Hic vre, hic arde. Dixit. Terrásque benignè
Alma fouet; purgat cædes, & vulnera curat,
Reddit agris lætam Cererem, dat collibus vuas,
Recludit maria & fluuios, commercia longè
Suscitat, & placido bellantum in pectora lapsu
Irrepens, Marte oppresso, dat germen amori.
Sed non abyciens animum dominator Auerni,
Haudquaquàm rabiem ponit, parcítve maligis
Consiliis, artes secum fraudésque reuoluit.
Esto, inquit, Bellum frendens toto exulet Orbe,
Pax vigeat, lætis opulentet frugibus Vrbes,
Non ideò mea regna iacent, mihi fœdera Pacis
Ipsa placent; sunt & Paci quæ damna reponam.
Otia dein impura vocat, blandásque Voluptas
Quas alit illecebras, lites quas copia gignit,
Inuidiæque odia, & plenis conuiuia mensis;
Mox inimicitias, & falsum arcessit Honorem.
Hic ori laruam obtendit, conceptáque damna
Occulit, & pacem grassans impunè cruentat.
Hunc acuit Dæmon: spargat mala toxica tectus,
Nobiliúmque vrat mentes, subitísque duellis
Implicet, atque animis pestem cessantibus afflet.
Cætera corripiant plebem, populósque quietos
Inficiant vitiis, & Pacis gaudia turbent.
Francorum in primis Regem, te pigra Voluptas
Sollicitare iubet, sanctas corumpere curas,

Deli

Deliciis iuuenem mollire, & perdere luxu.
Erumpunt Erebo Diræ, fusæque per agros,
Pérque Vrbes, animis fatalia pocula miscent.

PARS SECVNDA.

SPiritus aduertit, quem summo ex ordine lectum
Angelicas inter mentes, Deus arbiter Orbis,
Liligero Regi apposuit: studet ille saluti,
Virtutúmque amplo spirat sub pectore cultum.
Tunc vigil intendit curas, & cardine fretus
Romuleo, pugnâ inceptat depellere Diras.
Sed postquam cardo ereptus, Regísque Columna
Fato ingens cecidit; postquam vno Principe rerum
Summa stat, & Iuueni pestes incumbere vidit
Tartareas, vnúmque caput quot monstra lacessant;
Pertimet, ac subito raptus super astra volatu,
Præsidium implorans, rectorem appellat Olympi.
Quid pacem Deus alme dabas? quid fœdera tedis
Sancita? impendent, mala quæ grauiora minantur.
Exultare Erebum video, gratísque venenis
Sæuire, heu Iuuenem circunstant noxia Regem?
Et raptum est columen, Romana gloria gentis
Morte perit, quæ iactatam nauem anchora figet?
Spiritus hæc. Simul adiungunt pia vota precésque
Francigenûm Reges, & magno sancta Nepoti
Fata orant: supplex genitor promissa reposcit,
Quæ Deus infanti nuper tam larga tulisset.
Tunc etiam magnæ verba intercedere Matris,
(Francica nam magnæ Matri deuota Corona est)
Et Patrem & natum Regi regnóque precari.

At Pater omnipotens vultu quo pacat Olympum,
Sideráque, & vastum tranquillat mitior Orbem,
Respiciens, pauca hæc augusto effundit ab ore
Fata manent; nulli casus promissa retexent;
Spem firmate animis, stabunt immota, ferebam
Quæ Puero: & maiora paro, nam grandibus ausis
Destino, & immersum formo regnantibus instar.
Neu turbent Orci pestes, aut cardine rupto
Ne moles innixa ruat. Sanctum ille Timorem
Pestibus opponet, victas sub Tartara mittet;
Fulciet hic vnus Regnum, mentémque capacem
Substituens rapto, reget imperteritus æquor,
Terrásque, adscripsi nuper quas finibus amplis.
Illa Deus. Deinde amoto miracula velo
Expandit, retegens semet, panditque futura.
Mirantur Reges, quæ rerum adscripserit ordo,
Quæ Lodoicæis promissa oracula fatis.
Ipse etenim, regni compos, moderatur habenas;
Par oneri; tenera est ætas, virtúsque senilis;
Circunstant Pietas, Themis illibata, Timórque
Numinis, & varios spectans Prudentia casus.
Tum proles longa serie spectacula profert,
Quam Teresa dabit, thalamis regalibus apta
Teresa, & sponso summæ pars pars inclita laudis.
Exoptatus adest Delphinus, prima Parentum
Vota implens, cunásque beans, & regia tecta.
Nascere fortunate Puer; tua pignora sunto
Pax & Amor; nexu æterno sacra fœdera iunge;
Vt Matrem Patri annectis, sic Francus Ibérque
Sint vnus, sic iungat amor, quos Martius ardor
Separat, & coëant in bella Otomannica Fratres.

Del

*Delphinum insequitur soboles numerosa, futurumq́
Principibus germen, fulcimentúmque Coronæ.
Hos Reges sibi sceptra vocant; hæc Regibus Vxor
Certatim expetitur, sobolem paritura triumphis.
Exin constituit pacem Lodoicus, & Artes
Promouet; optatam populis dant iura quietem,
Copia frugiferis regnat felicior agris,
Nec timet exacta Cereris, Bromiíve tributa,
Sese vltrò impendens. Pietas menti insidet altè
Regnantis, factísque praeest: Laniena fugatur
Cæca duellorum, rabiémque reportat ad orcum,
Plectit blasphemas sancta inclementia voces,
Hæresis oppresso luget perterrita fastu,
Noxarúmque timet sibi conscia, iámque vocata
Ad pœnas, longæ plectit periuria fraudis.
Anni intercurrunt, signante lapillo.
Post seram ætatem, diuturnaque otia pacis,
Et iterum bellum. Fremit omnis Francia bello,
Et Tartessiaco fremit ardens litore miles,
Sed iunctis signis animísque: hinc lilia mista
Turribus, & Flores inter pacata leonum
Ira sedet, Thracum Luna pia signa minantur,
Et Bisantinos terrent noua classica muros.
Arte sua exultat Lodoïcus, & agmina ducens
Acri vectus equo, desiderióque feroci
Prælia per ferrúmque ruens, dat Turcica letho
Corpora, & Ismarios insternit stragibus agros.
Templis Luna perit, Crucibus fastigia lucent.*

 PARS

PARS TERTIA.

HÆc & plura vident Reges, gratésque rependunt
Ingentes, sanctóque ardent vehementiùs igne.
Tunc Deus infundit, supremâ è mente petitum,
Spiritui Radium, Regis quo dirigat actus.
In Radio fulgent, dubiis Prudentia maior,
Inuictúmque animi Robur, Pietásque, Themísque
Sancti iuris amans, & Maiestatis imago.
Nec mora; præsens est Regi, totúmque gubernat
Spiritus, & Radium mentem diffundit in amplam.
Par ille intendit regno, frenósque capessit
Imperij, & rerum moli sese igneus infert.
Non aliter, postquam Alcides succollat Atlantis
Orbem stelliferum, Diuósque & sidera ceruix
Portat ouans; grauat immenso nec pondere Cœlum,
Nec variis turbant agitati motibus orbes.
O spes Franciadûm! generosæ ô gloria Gentis!
O seges æternæ laudis, verúsque Tropheum
Historiæ, & verè claris celebrande Poëtis;
Perge gradu cœpto, vigiles impendere curas
Neu pigeat; varios Sceptrorum agnoscere casus
Et fulcire tuum. Tu prudentissimus, vnus
Omnibus intersis; Tu mens animúsque probandis
Consiliis, Tu cuncta simul, cunctísque verendus;
Rex merito, tantùm ante alios virtute vehendus,
Quantùm supra alios Regis te gloria tollit.
Intende, inuigila, diuina Oracula comple;
Paci da studium, veniet cupidissima votis
Illa dies, quâ Tu bellum belláque ruinas
Sultanum in Scythicum vertes, Turcásque triumphos

Pari

Parisios referens, spoliis opulentus opimis.
O si me illa dies vescentem cerneret aura
Ætherea ! quanto celebrarem prælia cantu,
Parnassique iugis resonantia carmina ferrem.
Intereà validas immitte per æquora classes,
Prædonémque doma ; volat ille è mœnibus audax
Algeri, pontum impatiens miscere rapinis.
Sentiat inuitus manicas, durísque reuinctus
Compedibus, captiuus agat, remóque ministret.
Terra satis laudum Franco parit ; Amphitrite
Ambit amans gentem, & victricia rostra reposcit.

AD

AD LECTOREM.

NON te in foribus remorabor diutius, paucis compellatum introducam in atrium duo sunt in Poëmate, quæ forsitan videntur abnormia à verosimili, nisi affingenti suffragaretur Historia. Nempe Castriotum aduersus duo millia equitum depugnasse, & euasisse incolumem; Amuratem Christianos captiuos bis mille immolasse Manibus Mahometis: quæ ego ab Historicis mutuatus inserui potius, quàm effinxi. Nam quod Turcæ Virginis pictam effigiem repræsentant, videar in gentis mores peccasse ignis Amantium ignorat priuilegia, & Amoris audaciam rebellantis in leges? Scenderex aliquoties pro SCANDERBEGO apposui, quo nomine à Chalcondyla nuncupatur, ad varietatem & vsum Carminis. Libros singulos distinxi in plures numeros, & argumenta adnotaui, ad leuandum legentium tædium; quibus plerumque continuata lectio molœstiam creat; eámque ob causam in librorum synopsibus plura congessi, vt versus obscurior hac veluti face illuminaretur. Cæterùm ad dignitatem Poëmatis Epici, censeo adscribendum, quod legebam nuper in Bacone, Angliæ Cancellario, viro ni fallor eruditissimo & ingeniosissimo. Hæc eius verba sunt, in opere de Augmento Scientiarum, *lib.* 2. *cap.* 13.

Atque de Poësi Narratiua, siue eam Heroicam appellare

ellare placet, modò hoc intelligas de materia, non de erſu ; ea à fundamento prorſus nobili excitata vide- ır, quod ad dignitatem humanæ naturæ in primis ɔectat. Cùm enim Mundus Senſibilis ſit anima ra- onali digitate inferior, videtur Poëſis hæc humanæ aturæ largiri, quæ Hiſtoria denegat, atque animo mbris rerum vtcunque ſatisfacere, cùm ſolida ha- eri non poſſint. Si quis enim rem acutius introſpi- iat, firmum ex Poëſi ſumitur argumentum, magni- ıdinem rerum magis illuſtrem, ordinem magis per- ·ctum, & varietatem magis pulchram, animæ huma- æ complacere, quam in natura ipſa, poſt lapſum, perire vllo modo poſſit. Quapropter, cùm res ge- æ & euentus, qui veræ Hiſtoriæ ſubiiciuntur, non ıt eius amplitudinis, in qua anima humana ſibi ſa- sfaciat, præſto eſt Poëſis, quæ facta magis Heroica ɔnfingat: cùm Hiſtoria vera ſucceſſus rerum, mini- ıè pro meritis Virtutum & ſcelerum narret; corrigit ım Poëſis, & exitus & fortunas ſecundùm merita, & lege Nemeſeos exhibet: Cùm Hiſtoria vera, ob- a rerum ſatietate & ſimilitudine, animæ humanæ ſtidio ſit; reficit eam Poëſis, inexpectata, & varia, & ciſſitudinum plena canens. Adeò vt Poëſis iſta non lùm ad delectationem, ſed etiam ad animi magni- dinem, & ad mores conferat. Quare & meritò etiam uinitatis cuiuſpiam particeps videri poſſit; quia ani- um erigit, & in ſublime rapit, rerum ſimulacra ad ıimi deſideria accommodando, non animum rebus bmittendo, quod ratio facit & Hiſtoria. Atque his ıidem illecebris & congruitate, quo animum huma- ım demulcet, addito etiam conſortio Muſices, vnde

ſua

ſuauius inſinuari poſſit, aditum ſibi patefecit, vt honori fuerit etiam ſeculis planè rudibus, & apud nationes barbaras, cùm aliæ doctrinæ prorſus excluſæ eſſent. Hactenus Baco.

Quæ cùm ita ſint, eſt omninò quod ſeculo noſtro gratulemur, in quo ab ingenioſiſſimis viris ſcripta ſunt non pauca, ſummi huius generis, & laudatiſſimi, clara Poëmata; atque excitata laus propè inter mortua; ſanè in Gallia, delibata dumtaxat, non antè impleta. Nam vt omittam Gratiani Granatam, & Neapolim Principis Borgiæ (quippe ea laurea viſa Principi digna, quam ambiret in rerum omnium abundantia) quorum primum varietate rerum mirificum eſt; alterum grauitate, maieſtate, acumine ſenſuum, & deſcriptionum pulchritudine, eſt in paucis ſpectabile; eſt præterea in Gallia, quod exteris gentibus non inuideamus. Nam præter eos, qui in eam operam cùm ſe contulerint, adhuc digniſſimos immortalitate fœtus elaborant, habemus iam perfectum in eo genere, quo cum Hiſpanis & Italis contendamus. Etenim in Clodouæo, quanta rerum & euentuum copia! quàm peritè Poëſis accommodata Hiſtoriæ! quàm magnificè illuſtrata naſcentis Regni cunabula! Alaricus, præter natalium prærogatiuam, primus omnium in lucem editus, facilitate carminis, deſcriptionum picturâ, argumenti maieſtate & amplitudine, occupauit laudem, quam ad poſteros deferet. De Virgine Aurelianenſi quid dicam, quæ propediem prodibit auctior atque auguſtior; & grauitate carminis iuxta ac facinoribus clara, Poëtam nacta eſt dignum ſua pietate, fortitudine, caſtitate, cæteríſque virtutibus. Conſtantinus ſuauitate

ate & elegantia carminis, mirifico fabulæ contextu, eſcriptionum vbertate & felicitate, acuratiſſimâ in ngulis diligentia, comparandus veteribus, ab Marone, uantùm mortali fas, non abſcedit. Iam Ludouicus anctior, quos lepores, quam vim, quam rerum, ſenium, & affectuum copiam miſcet, quàm varietatem ffundit in Epiſodia, quam maieſtatem attollit in carmine! vno verbo, quàm Poëtam in omnibus ſapit! Quid luſtrius, quid ſplendidius, quid copioſius, donauit nquam Græcorum Parnaſſus? Et forſitan SCANDERBEGVS tot inter Heroes auſit aſſurgere, quanquam enui carmine, & conſcriptâ arctioribus terminis fabu‑ ,tamen aliqua ſpecie varietatis, & puritate verſus, & rie fabulæ, non reiiciendus.

Nec ſcriptorum præclariſſimorum deterenda laus ſt, quod in eorum Poëmatibus Critici homines reprehendant haud pauca. Nam præterquam quod ſuus unquam Homero defuit Ariſtarchus; eáque eſt hominum ratio, vt nihil vni ſic placeat, quin diſplicendi auſas alij ſuggerat; Epici præterea Poëmatis genus Cenſorum acerbitati tum maximè patet, éſtque obnoium criminationibus accuſantium, & oppugnantium etitionibus. Siue id contingat, ob amplitudinem arumenti, nam næuos plures in Gigante quam in pumilione deprehendas; ſiue ob eorum qui legunt ignoantiam, qui naturâ Poëmatis non perceptâ, toti ſunt i ſpectando carmine, contextum operis non attenunt, & hærentes in cortice, vim abditam ſeminis, & tentem vitam non animaduertunt; ſiue ob ſentiendi uerſitatem, cùm Poëtæ quod placuit, Lectorem ofndat; & in fœtu ingenij, qui totus eſt parientis, mi-

rum

ARGVMENTVM POËMATIS.

AMVRATES *Turcarum Imperator, comite Filio Mahometo, numerosissimo cinctus exercitu, Croiam obsidet, Albani regni vrbem primariam. E proximis montibus propugnat eam* SCANDERBEGVS *Albaniæ Rex. Durat obsidio, donec variis cladibus ab Albano Amurates affectus, postremâ tandem toto exercitu fuso, & ipse dolore & desperatione impotens sui, in tentorio suo emoritur.*



LIBER PRIMVS.

ARGVMENTVM.

Scanderbegus, opem flagitaturus, Venetias nauigat.

SCANDER

SCANDERBEGI
LIBER PRIMVS.

I.

Propositio, Inuocatio, & Adhortatio.

PVGNANTEM, Turcámque hostem, seruatáque Croiæ
Mœnia, & aggestos Scythica de gente triumphos
Musa refert. Tu qui cœlo super Astra receptus,
Scanderbege sedes, mentes augere beatas
Cui datur, & nostras audire à Numine voces,
Imple animum, dignúmque affla sub pectore carmen.
Téque vtinam exscribat carmen, celebrétque canendo,
Qualis eras, hostem medium cùm vertice summo
Finderet ad pubem gladius, partésque recisæ
Hinc inde exciderent; turmis cùm pluribus vnus
Obiectus, cædem innumeram, reditúmque patrares.
Forsitan exemplum lentos, dubiósque pericli
Concitet, ac sancta vnanimes in prælia mittat.
Europam quid enim iuratæ vincula pacis
Conciliant? Reges Numen quid fœdere nectit?
Quid Bellona furens pacatis exulat oris?
Scilicet vt rerum Dominos malesana voluptas
Occupet, ac iusti pereant cum pace triumphi?
O Reges! Deus hæc vobis non otia fecit.
Maior adest belli series. Quid Turca fatigat
Et maria, & terras? quid adhuc Cretensibus oris
Incumbit? necdum Ponto detruditur Helles?

 Surgite,

Surgite, & extremos pestem depellite ad Indos.
Tu iuuenis, quem cœlum ambit, cui Lilia florent
Aurea, & immenso cui Francia limite crescit;
Imple facta citus. Seros patiere nepotes
Profligare Scytham, & diram subuertere gentem?
Hæc tua laus, Thracis domiti tibi laurea surgit.
Mox vbi te partu augusto Lucina bearit,
Delphinúmque tuis dederit Teresia terris,
Consurge in Martem, Europæ te castra sequantur.
Iam trepidat Pontus, pallet iam Luna bicornis;
Iam septemgeminæ metuunt sub turribus arces.

II.

Nuntius Belli.

IRenen sponsam expectat, speque incitat ignes,
SCANDERBEGVS amans; felici Albania plausu
Læta fremit, duram perfundunt gaudia Croiam.
Plebs myrtum lauro insertam, Regemque pudicis
Ignibus edomitum, & thalami pia munera natos
Gratatur, facilésque dies, atque otia pacis.
Sed plausu in medio funestat Nuntius vrbem
Tristior, & magnis animos terroribus implet.
Sistitur ad Regem properans; sicque ora resoluit.
Bellum ingens dirúmque fero. Volat excita regnis
Turcia, & Europâ atque Asiâ sub signa vocatis,
In te versa ruit; quæque arma minacia terrent
Pannonios, Epirum implent, atque oppida vastant.
Vidi ipse innumeras equitum peditumque phalanges,
Lunatasque acies, vmbrare ingentia camporum
Æquora; decrescunt sub equis potantibus amnes,
Subsidunt terræ sub pondere tormentorum,
Atque hebetant vexilla diem. Longa agmina ducit
Iunior, & primas feruens Machometus in iras;
Quin & Amurates, sceptro ferroque receptis,
Armorum imperium exercet, molémque gubernat;
Auguriis animum, & votis maioribus augens.
Spitigradam Croiámve petat, mens ambigit anceps.

Sic

Sic ait. Haudquaquam dictis pro talibus horres
SCANDERBEGE metu: immoto ſtat pectore virtus
Martia, & abductos iam iam procurrit in hoſtes.
Accelerent, inquit; forſan mutaſſe pigebit
Primum hoſtem. Faxo, deſertam exoptet eremum
Dirus Amurates, repetitáque ſceptra queratur.
Et iuuat Epirum mediam ſignare trophæis
Barbaricis; patrios infenſo ſanguine manes
Exſaturare iuuat: manet hæc raptum hoſtia Patrem.

III.

Deliberatio cum ducibus.

HÆc fatus; ſocios armorum, pectora fida,
In conclaue vocat, nec terrentem occulit hoſtem.
Primus adeſt, ſenio emeritus, caniſque verendus,
Zunites. Smyrnæ quondam ſceptrum ille tenebat,
Iuſtitiâ gratus populis, armíſque timendus;
Vna cui proles Helena eſt pulcherrima Virgo,
Patris amor, regni fulcrum, Regúmque cupido.
Omnia ſed rapuit; Natam, vrbem, & nobile regnum,
Sæuus Amurates; miſeræ ludibria ſortis.
Infelix Scythico ſeruit nunc Smyrna Tyranno;
Virgo, niſi occubuit leto, ferrumque recepit,
Vrbis in excidio, gemit heu crudelia fata,
Incuſatque diem; iacturam paſſa pudoris,
Clauſa gynæcæo, fœdiſque obnoxia probris.
Ipſe Pater ſorti infauſtæ cladique ſuperſtes,
Albanum fugit ad Regem, iuſtiſque flagrantem
Mentem odiis, meritaſque iras & funera defert.
Tum Memnon ſedet: hic iuuenis, claruſque vetuſtò
Sanguine maiorum, doctis regnabat Athenis;
At ſceptrum ſponte abiecit, regnumque reliquit:
Tantùm odij in Turcam, & tantus iuuenilibus annis
Laudis amor, gaſamque tulit, legitque phalangem
Robuſtam iuuenum; & tiro ſe nobilis addit
Albano: & magno formatur in arma magiſtro.
Timoleon iuxta eſt; cui magno in corpore vires

Amplæ molem æquant; animus nec defuit ingens.
Nec te Caune ætas tenera, & vernante iuuenta
Flos primus; cœtu excludit; quin suppleat annos
Mens senior teneros, materni & sanguinis ortus.
Albani Mariana soror, dum Turca reuellit
Epiri Imperium, fratresque in vincula ducit;
Luctum inter Caunum peperit; sed sedula mater
Abdidit in siluis; primùm canis vbera præbet,
Rustica dum nutrix inuentum admisit alendum.
Sexennis tunc Albanus; nunc bis duo lustra
Caune imples; magnusque in te iam fingitur Heros.
Quin etiam Depranus, Procerum mirante Senatu,
Insperatus adest. Prudens speculator in vrbe
Consilia explorat Turcæ, seséque latenter
Insinuat, prusamque sagax Aulámque recludit.
Is prægnans magni euentus, volat ocyor Euro,
Et Regi Albano Turcæ mysteria pandit.
Rex fouet amplexu, & memorem gratatur amorem.

IV.

Amurates deponit Imperium.

MOx Depranus. Non te sæui mens prima Tyranni
SCANDERBEGE fugit. Nam quas modò gloria sceptri
Depositi non percurrit celeberrima gentes?
Quis regnis plenum Machometi regna dedisse
Nescit Amuratem? partis saturúmque triumphis,
Percepisse nouum quem Turcia nescit honorem?
Omnibus ista quidem; sed paucis nota, Feraulas
Quæ mihi denarrat, scenamque expandit opertam.
Rex senior, titulisque auctus, gestisque superbus,
Pannoniísque tumens Spoliis, & Rege perempto,
Varnia quem luget, triplex lugétque thiaras,
Lugebítque diu? cùm te tot defore palmis
Cerneret, atque vnum laurorum infringere siluam:
Et frustra insidiis tentatum, armísque petitum,
Indignans, flagransque odiis, & vulnere cæco
Irarum, & tacito depastus pectora cancro;

Sceptrum

Sceptrum odit, soliúmque; grauem malítque coronam
Ponere: tantùm vrget famæ ambitiosa libido.
Ergo piam assimulat mentem, votumque recudit,
Quod sub Varnensi pugna, mediísque periclis
Miserat; in sacros priuatum intrare recessus,
Si pugnâ incolumis, tantúmque haud victus abiret.
Quà Prusa ad Boream flectit, septemque Triones
Inspicit; ampla iacet nemorum dictincta viretis
Planities campi: riui de fontibus vndant,
Percurrúntque solum; medio de colle tumescunt
Amplæ ædes; agri sese sub lumina fundunt.
Huc se, Mustorum longa comitante caterua,
Condit Amurates, vitiísque obducit amictum.
Vix nascens croceas pingit Titonia bigas,
Deruisij magno in numero, gens impia ritum
Sacrilegum instaurant; medio stat in agmine princeps,
Insanasque preces iactat. Cùm Phæbus ad Indos
Vertitur occiduos, summóque exscendit ab axe,
Sectides docti Alcoranum, legisque periti,
Circumstant, falsíque docent monumenta Prophetæ.
Ille audit, dictisque animum mendacibus implet.
Quin etiam vario distinguit feria lusu,
Et reuocat Martem, & bello se pascit inani;
Mox fingit pedites, & milite ludit eburno,
Alucolisque ferit pugnas. Mox deligit aptos
Sectidum, formatque aciem, bellóque Magistros
Erudit, & gaudens doctis documenta rependit.

V.

Amurates resumit Imperium.

Sed frustra studium occulitur, sopita resurgit
Ambitio, laudumque ardor, sceptríque cupido.
Tædia campi augent, flammasque incendit eremus.
Sæpe senem inuisit, Priami generosa propago,
Charites, bellis socius, sociúsque periclis;
Aularum ille sagax, penetrauit in abdita menti
Consilia, & cæcos ignes, Regémque retexit.

Tum sic alloquitur. Claro Rex digne theatro,
Tu ne hic perpetuus, latebris inglorius altis,
Et tumulo, Rex summe, iaces? sic gesta coronas?
Sic laudes cumulas? sic texta illustria claudis?
At tibi non tantas dederat victoria palmas,
Vt cursu in medio, cœlíque fauentibus Astris,
Deficeres, sortem prodens congestáque dona.
Nec regno factum satis est; quanquam tibi laudum
Sit satis, & celso tollat te gloria cœlo:
Regnum vrget, funditque preces, victriciáque arma
Poscit, & Hunniadem obiectat, Croiámque rebellem.
Est super Hunniades, victus licet, imminet ingens,
Germanosque vocat, Romámque ferocior infert.
Huic Iuuenem opponis, tironem, animóque superbum;
Rerúmque ignarum, & temerè tua signa ferentem.
Nam quid Scenderen dicam? quid mœnia Croiæ,
Quid regnum Albanum? quid nostræ opprobria gentis?
Detritasque tibi laudes, raptosque triumphos?
Nempe tibi probrum est, pœnam si prorogat vltra
Scenderes, nec te cessantem iniuria pungit.
Ingerit hæc natus Priami, flammasque ministrat
Ardenti, & tacitis citus emouet ostia votis.

Nec mora; dum natus latè Bithina per arua
Venatu indulget, trucibusque efferuet in apris:
Prodit Amurates, solióque exceptus auito,
Restituit sese regno, sceptrúmque resumit.
Miles plaudit ouans, sonat Aula, & longa resultant
Atria; percurrunt festiua incendia Prusam;
Et Regem vxores reducem ciuesque salutant.
Quid faciat gnatus? regnanti obnoxia præbet
Obsequia, & falsâ simulat pia gaudia mente.
Nec tardat senior; promptas rapit ira phalanges,
Et quas Pannonio Machometus destinat hosti,
Vertit in Albanum; & totis in te ingruit armis.

VI.

VI.

Croiæ metus à Dæmone.

HÆc Drepanus Procerum in cœtu. Malgurrius Vrbem
Interea exagitat, tacitusque venena propinat.
Miserat hunc Erebo Croiam vexare tyrannus
Lucifer; & Fraudes socias, Astúmque, Metumque
Addiderat, Fraudúmque malas infuderat artes.
Ille domos tectus penetrat; satagitqúe per vrbis
Compita, per vicos, per limina sacra, per aras,
Et turbare animos, & sollicitare pauorem.
Corda gelu adstringit, segni stant sanguine venæ;
Et tremor, & luctus, trepidæqúe angustia mentis,
Et squallens mortis facies, pigra pectora quassant.
Ante oculos Turcæ immanis versatur imago,
Coniugiis violatus honor, raptúsque puellis
Flos tener,& fuso cunabula tincta cruore,
Et larium flammæ; & quidquid mens territa fingit.
Audit Scenderes curas, mœstumque timorem,
Et fluctus animorum, & gelidum formidine ciuem;
Nec timet. Eurydamum præconem arcessit,& vrbi
Quæ mandata ferat, subito tonat ore timendus.
I celer, & populis defer mea iussa vocatis.
Qui metuunt, vrbe abscedant; imbellia muri
Pectora non capiunt; patet ingens porta timenti.
Ad montes fugiant, secum & sua pignora portent;
Sufficiam ipse mihi. Nam claudi mœnibus iisdem
Albanum, timidosque nefas. ruat Hostis,in vno
Albano quod vincat erit? quin, si Deus adsit,
Quo vincatur erit. Præco mandata capessit,
Plebs luget; certumque metum, tristemqúe pudorem,
Et vitam, & Regem, ancipiti sub corde volutat.
In luctu nox atra ruit : caligine cæca
Terra latet; pauidosqúe sopor non irrigat artus.

VII.

S. Georgius dæmonem fugat.

LVmina tum fortè in terras demiſſa Georgus
Figit; & Heroëm, Croiámque, & ſæua timentem
Epirum videt, & diſcrimina proxima rerum.
Nobilis hic olim bello, mortíſque triumpho
Nobilior, Chriſti pulchram pro Numine vitam
Fuderat, intactam mercatus ſanguine palmam.
Nunc inter Proceres, ſublimi admiſſus Olympo,
Albano ſtudet, & fidei, Croiámque tuetur.
Ille rogat Chriſtum ſupplex. O digna Parentis
Æterni ſoboles, humana piacula morte
Qui luis Electóſque regis, cœtúmque fidelem.
En furit hoſtilis rabies; en ſedibus imis
Tartareæ peſtes, & monſtra immania ſurgunt,
Diuexantque Fidem. Quantis iam funditur oris
Alcoranus? quæ nunc terra illibata veneno?
Num ſatis eſt, primos virus quòd manat ad Indos,
Quod Gangi labem aſpergit, quod toxica Nilum
Inficiunt, læſíſque mari Niger influit vndis?
Europam ni dira lues, Romæque thiaram
Hauriat, & reliquis ſpargat contagia terris.
Albanum nam ſi tollis, quis clauſtra furenti
Obiiciat? tabum exundans quis mole repellat?
Iam fugit Hunniades, iam fracta ferocia gentis
Pannoniæ; iam porta patet quam clauſerat Iſter;
Vna ſuper Croia eſt, ſuper vna Albania; quanquam
Incaſſum ſperant; animos agitante pauore
Et vires ſoluente metu, quem Tartarus infert.
Finierat. Chriſtus diuino hæc ore reponit.
Impietas metam inueniet; tuus ille retundet
Albanus victam, Lunatáque ſigna reuellet.
Tu modò in infernas peſtes, ſtygiáſque paludes
Robur habe, primúmque animis infunde vigorem.
Dixerat. Angelicis reſonant concentibus auræ,
Gratantur Proceres, thymiama exhalat odorem

Ambroſium

Ambrosium, lucémque nouam reflectit Olympus.
Exscendit subitò cœli alta sede Georgus,
Et terras Croiámque petit. Micat æthere splendor,
Quà volat & longo nitet aurea semita tractu.
Vt videt æthereis rutilum Malgurrius armis,
Intentásque minas ferro; quem fecerat antè
Concipit ipse metum, totáque exterritus vrbe
Aufugit, & fixum coquit alta mente dolorem.

VIII.

Templum S. Georgij.

TEmplum erat; antiquo Patrum venerabile cultu,
Marmoreum Croia in media: suffulta columnis
Atria longa patent, specularia vitrea latè
Luce vibrant, vibrat aurata testudine marmor.
Celsum altare super, iuuenis stat imago Georgi
Ærea, religiosa piis, votúmque precantum.
Æreus hunc gestat sonipes; circùm arma refulgent
Ærea; lorica, & clypeus, cristæque comantes
Cassidis, & dextrâ prætensum hastile minaci?
Et ferrum lateri accinctum. Contra horridus anguis
Ore vomit flammas, lingua vibrante trisulca,
Spirisque explicitis Equiti se letifer æquat.
Ad dextram genibus nitens, palmísque supinis,
Virgo implorat opem: formoso exscribitur ore
Et metus, & pudor, & funesti signa doloris.
At Iuueni flagrant oculi? flagrat ira, animusque,
Ora per & vultus; totumque incumbit in anguem.

IX.

Croiani incenduntur ad bellum.

CEphalis aurato pingebat syrmate cœlum,
Et rorem spargebat agris; ruit omnis in Ædem
Turba sacram, & Diuum precibus votisque lacessit.
Tum subito radij fulgere in imagine visi;

Luce

Luce nitere nouæ clypeus, galeæque micare
Visus apex, visumque minax hastile moueri.
Firmantur spectantum animi, robúrque per artus
Funditur; & rapidæ penetrant in pectora flammæ.
Nec sacer altari Peryleus incendia corde
Continet, in voces ora eructantia soluit.
Quis timor, ô ciues, quæ nos ignauia fregit?
An Deus est? regit an terras suprema potestas?
Ille ille auxilio veniet; spectate Georgi
Arma super, cœli augurium, vocémque Tonantis.
Nos in bella vocat. Nam quis metus auspice cœlo
Restet adhuc: Regi an superûm, præpolleat Orcus?
Plura parat Peryleus. Sed bellum incondita turba
Inclamat, bellúmque petit, bellúmque minatur.
Sic vbi discusso verba incantantia somno
Squammeus exoluit serpens, dentémque recepit;
Arduus insurgit, fremit ore, altique soporis
Sæuit in auctorem, & flammis pigra frigora pensat.
Turba omnis templo erumpit, ruit omnis ad Arcem,
Albanumque vocat; pueri, imbelléſque puellæ,
Matronæ; & quod erat Pauor antè, Audacia nunc est.

X.

Oratio pro ciuibus.

Nicocles Regem affatur. Nos ecce paratos,
Ire iube; quò te ducet fortuna, sequemur.
Naturam Deus immutat; sacer impetus vrget,
Femina nostra vir est, puerorum mollior ætas
In iuuenem transit: senibúsque exacta iuuentus
Iam redit, & siccas instaurat sanguine venas.
Totam Asiam, & Gangis ripas in mœnia Croiæ
Vertat Amurates, septemgemini ostia Nili
Euocet, & Memphim antiquam, calidámque Syenem;
Non fugimus: Satis est animis membrisque vigoris.
Machina si quassat muros? vallabimus vrbem
Corporibus; sibi quisque erit Arx, sibi mœnia quisque.
Duc modò quo Bellona vocat. Rex munere Diuûm

Lætior

Lætior, inflammat turbas; & mœnia circùm
Propugnanda notat. Ciuis volat, horridus ampla
Mauors vrbe fremit; clypeósque enséſque retractat.

XI.

Ædes ſacra Deiparæ.

Rex quoque cœleſtem, mortali haud robore fretus.
Expoſcebat opem votis, Dominámque vocabat.
Quà Croiæ occiduus reſpectat limina Titan,
Et longis tegit vrbem vmbris, Noctémque moratur;
Siluoſi attollunt nimboſa cacumina montes,
Expellúntque diem; rupes immanibus horrent
Verticibus, claudúntque aditus, cœlóque minantur.
At duros inter ſcopulos, inſanáque ſaxa,
Ædiculam Pietas poſuit, Chriſtíque Parenti
Altare, & Statuam, auxilij venerabile pignus.
Parietibus pendent tabulæ, pictíſque coruſcant
Prodigiis, factámque docent in vota ſalutem.
Scenderes huc ſe, Cauno comitante nepote,
Solum infert, natúmque Deum, Matrémque precatur.

XII.

Timothæi ſomnium.

Timothæus cuſtos Ædis, ſacríque miniſter
Muneris, occurrit venienti, & ſomnia promit;
Somnia diuinis nuper ſignata figuris.
O Regum ſublimis apex, lectúſque triumphis
Cœlitus, & magnis empture laboribus Aſtra;
Accipe iuſſa Dei, & memori ſub mente repone.
Dum nocte in media, medium vaga ſydera curſum
Conficiunt, altóque ſilent mortalia ſomno;
Stratus humi orabam, cœli dominámque precabar,
Vt tibi ferret opem, ſæuúmque retunderet hoſtem.
At ſopor extemplò ſtratos irrepit in artus
Mollior, & claris pingit noua ſomnia formis.

Viſa

Viſa mihi ante oculos, radiis ornata coruſcis,
Adſtare alma Dei genitrix ? radiata pyropis
Auro palla riget ? ſtellata adamante corona
Incingit crines, & circùm tempora fulget.
Tum ſic affatur. Veniam ; viréſque potentes
Sufficiam : Albanus vincet, Turcamque repellet.
Sed belli noua ſit ratio. Vult vrbe ſedere
Albanus ſéque incluſum defendere muris :
Vult ſe vno Martem excipere, & quæ humana cupido
Laudum vrit, flagrat pugnare tot hoſtibus vnus.
Inferre hanc Vrbi Statuam cupit. Omnia contrà
Vult Deus : humanis longè cæleſtia diſtant.
Rex vrbe abſcedat ; Venetorum efflagitet ardens
Auxilium ; ſeſe,prærupto hic condat aſylo ?
Néue loco Statuam emoueat. Tunc ſurgat in hoſtem.
Sternátque Otmanicis Albana phalangibus arua.
Dixit ; & ex oculis ſopor effluit; almáque Virgo
Viſa ſuper, blandum vigilanti expromere riſum,
Et vultu annuere,atque oculis ſpectare ſerenis.

XIII.

Rex ſe comparat ad iter iuſſum.

Sic dum Timotheus ſomni myſteria pandit ;
Rex intus cœlum agnoſcit, ſupremáque iu ſſa
Numinis, & mentem ſacris afflatibus aptat.
Tunc ſupplex Reginam orat, ſummumque fatetur
Imperium, & promptus iam-iam mandata capeſſit.
Nam tibi quis Regina, inquit, parere recuſet ?
Quemúe tuis ductum auſpiciis, non fata ſequantur
Proſpera ; non totis ornet Victoria lauris ?
Dein Caunum Croiam ablegat, qui munera mandet
Zuniti, ſeruandæ Vrbis, regniqúe tuendi ?
Dum Venetos prece compellat ; curatqúe Salutem
Afforis, & celſis è montibus imminet hoſti.
Et iam Mantus adeſt ; Domino famulatur in armis
Mantus amans Domini ; primis lac ſuxit in annis
Ille ſimul, ſeruúſque ſimul, libérque Tyranno.

Hic

Hic comes it Regi; Regem complectitur vlnis
Timotheus, dicitqúe vale, faustúmque precatur.

XIV.

Irenes memoria.

ACcingit sese ille viæ. Sed pectora turbat
Castus amor, carptísque hæret noua flamma medullis.
Figitur Irene menti, sedet intus imago
Pulchrior, & cordi claro se lumine pingit.
Quin voce appellat tacitâ. Tú-ne ille pudicis
Ignibus ambiri dignus, lectóque iugali?
Tu iuuenem sponsam vt fugias, præclarus amator.
Primáque disiungas vasto connubia ponto?
Libasses me saltem oculis, qualísque fuissem
Spectasses? an digna forem spectata relinqui.
Sed me linque Patri, Laribus me trade paternis,
Quem liqui, quos deserui: quid sola relinquor
Indiga opis, vacuo in campo, stipante caterua
Fœminea, imbellíque manu, facilísque rapinæ.
Et modò diripiet pacti connubia lecti
Turpis Amurates? Machometi prima libido
Fœdabit sponsam Albani, flebítque repulsa
Tristes reliquias, ignominiámque pudoris.
Sic flammis Rex ardet amans, sic vritur intus,
Sic bellat secum, casto sic pugnat amori.

XV.

Angeli pro Rege cura.

ALes at Empyreus; Regis cui tradita cura est,
Vt videt afflatos ignes, artemque dolosam
Tartari, & implicitam puro sub fœdere pestem;
Sedulus affatur contra, stimulósque retundit.
Hæres Albane & summi pia iussa Tonantis,
Laudémque, & regnum, vano postponis amori.
Hæc tu pollicitus, dura cùm liber abibas

Compede,

Compede, & aurato mutabas vincula sceptro?
An Deus est alius? nec qui tua vincula soluit
Irenen seruare potest? quin protinus ignes
Et Thalamos mitte; impendet Deus his quoque curam.
Angelus hæc; penetrátque animum; speciésque cerebri
Immutans, simulacra fugat flagrantis Amoris,
Substituítque noua, & primum signantia Martem.
Mox rorem Ambrosium infundit, (liquat ille beatis
Sedibus, inqúe animos Christi de fontibus vndat.)
Extemplò cessare rogi, subsistere flammæ,
Deferuere ignes, æstusque tepescere cordis.
Nec citius ferrum candens in frigora transit,
Vulcanumque fugat, mediis cùm mergitur vndis,
Et circùm effusum toto bibit igne liquorem.
Iámque Heros cursu accelerat, superátque viarum
Ardua, & Ionio properat se tradere Ponto.

X V I.

Irene à patre reuocata.

IRenen simul interea sua prælia vexant,
Conturbántque animo. fines transgressa paternos,
Quà Sauus eructans fluctus irrumpit in Istrum,
Et Mœsas nitidis segetes interluit vndis;
Bulgariam emensa, & Macedûm iuga celsa, propinquos
Irene Albanos sperat, Regémque cupitum.
It comes, Albana missus Dicearchus ab Aula,
Pronubus, & casto ducat qui fœdere nuptam.
Multùm auri Pater addiderat, multùm optima Mater;
Mœsorum gasas, opulentáque munera, natæ
Congerit in gremium mater; monumentáque patrum,
Tam pius vrget amor, pretiosa monilia donat.
Et nunc fama implet subitis rumoribus aures,
Exciri Turcam in bellum, innumerásque phalanges
Instare Albano, & Croiæ, excidiúmque minari.
Diriguit simul illa metu, gnatæqúe hymenæos,
Heu nimis infaustos, & tristia fœdera luget.
At gentior planctu haudquaquam se pascit inani;

Cymodoonta

Cymodoonta vocat; iuuenem natalibus ortum
Purpureis, quem Comnena de ſtirpe creatum
Irenes incendit amor, zelúſque flagellat.
I. præcurre Notos, charæ veſtigia natæ
Conſequere, & mea iuſſa refer. Sub. tecta paterna
Se referat; neu ſe tanto permiſerit hoſti,
Et patrem & patriam in caſus opponat acerbos.
Hic volat, & rapidis quà voluitur Axius vndis,
Nec pelago ſe dum immittit; veſtigia tandem
Optata aſſequitur, charíſque aſpectibus hæret.

XVII.

Irene Croiam venit.

VT videt Irene properantem, exterrita quærit,
Quid pater, & quid agat rerum dulciſſima mater.
Salui, inquit; natæque iubent deferre ſalutem;
Si tamen vlla ſalus tanto in diſcrimine fulget,
Et ſpem fata ſinunt. Nam Turcia tota cohortes
Euocat, Æmathiæque incumbit pondere belli:
Proruit & ſubita forſan iam Croia ruina
Nullúſque eſt Rex Albanus. Cupit ergo iubétque,
Sollicitus genitor, Mœſorum vt tecta reuiſas,
Téque Lari reddas patrio, gremióque parentum;
Idque vnum expectat mater, lugénſque precatur.
Tum Virgo, flammante genâ teſtata pudorem,
Purpureíſque roſis candentia lilia velans,
Pugnam animæ foris expromit, miſtúmque timori
Ardorem, & geminos vno ſub pectore amores.
Hinc genitor matérque vocant, motuſque potentis
Naturæ, & magnis Pietas impulſibus vrgens.
Illinc caſtus Amor, dudúmque admiſſa medullis
Flamma, & Scenderis, iecur inſcribentis, imago:
Ambiguam Dicearche vides, pellíſque ruentem.
Vocibus his, pronóque animo calcaria ſubdis.
Quid dubitas Virgo? Nam quis promiſſa moretur
Aut timor, aut vanis prægnans rumoribus error?
Num Regi data dextra meo? num tæda iugalis

Illuxit; num iura tori sanxere parentes?
Nec dum Croia perit, nec Regem Albania luget;
Albanus superest; noscétque Amuratus, an armis
Albanus valeat quantúsque assurgat in ensem.
Dixerat. Exultat Virgo; flammámque voracem
Non capit; incendunt spes & fiducia mentem.
Nil in me mihi iuris, ait; sum tota recepti
Coniugis; ille mihi sortem facit. Vnicus ambos
Aut tumulus tegat, aut thalamus. Nec gloria maior,
Quàm duras magni ærumnas hausisse mariti.
Mox Croiam iubet ire citos. Nec nuntius hæret
Cymodoon, dubitátve sequi; seu blanda supersit
Vmbra spei, seu Martis agat laudísque cupido.

XVIII.

Tempestas à Damone.

ET iam Scenderem properantem Epidaurus habebat
Ioniasqúe vndas primos Titanis ad ortus
Sulcatura ratis; remos & vela parabat.
Heros dissimulat Regem, rudiore sagatus
Vellere; & obductam frontem velante capillo,
Nube oculos tegit, & vibrantia fulgetra cæcat.
Haud tamen opposità Malgurri falleris vmbrâ,
Perspicis; & Regem penetras sub nube latentem,
Irruit in mentem præceps furor. Ergone pellar
Croiâ; inquit, scythicásque exul damnabor ad oras?
Dum totus patet hosti orbis, tranquilláque substant
Soluenti maria, & præbent sua flamina venti.
Haudquaquam. Nec enim tota est exhausta potestas,
Estqúe Orco quod peccet adhuc. Simul impete in altos
Abdit se fluctus, latisqúe infunditur vndis.
Extemplò feruere imis Neptunus in antris,
Ebullire vadis, salsísque in fontibus vri,
Tum fluctus sese attollunt, crebróque vicissim
Ariete tunduntur, pestem si fortè furentem
Excutiant, dirósque ignes sub tartara pellant.
Spiritus incumbit grauiùs, pontúmque fatigat

Verbere

Verbere; & insano celsum ferit æquore cœlum.
Tertia iámque dies terris pandebat Olympum,
Tempestásque furit; nec se committere ponto
Nauta velit, tumidæve ausit pugnare porcellæ.

XIX.

Angelus Regem vehit.

AT Iuuenis, primâ nondum lanugine pictus,
Sese in conspectum sistit; fluit aurea collo
Cæsaries, fulgent oculi, membrísque decorum
Robur inest; toto prostat de corpore virtus,
Quanquàm veste humili latet abdita. Verba modesto
Ore sonant. Si cor audet, stat littore cymba;
Ibimus,& tuti vastum sulcabimus æquor,
Et quò fata vocant Venetas ducemus ad oras.
Duc modò, Rex inquit, nec te duxisse pigebit?
Albanum vehis, & Superûm cœlestia iussa.
Inde petit cymbam; gemini super æquora remos
Expediunt pueri, funémque è littore soluunt.
Obstupuit Mantus dominúmque hâc voce moratur.
Quò ruimus? cœlum temerè quid cepta fatigant?
Horrendùm freta cœca fremunt; mollesne puelli,
Cymba, & inexpertus Iuuenis, spumantia frangent?
Heros subridens, inquit? Credo, ipse timerem;
Nec iuuenis puerive timent? frustra ergo pericla
Fregimus intrepidi? toties hostilia tela,
Sæuásque oppsito perpessi pectore mortes;
Et modò nos pelagi sonitus percellat inanis?
Dixit. Iamqúe agitur remis luctantibus vnda,
Et iuuenis clauum inflectit; sentítque satelles
Tartareus, ferri audacem super æquora lembum?
Irâque infrendens, fluctum toto impete torquet,
Seqúe ipsum vibrat in puppim, lembíque magistrum.
Sed furor est cassus, pelagíque refringitur ira;
Quinetiam ipsa lues orci subter mare longè
Pellitur, & vasto metitur cærula casu,
Non aliter muros propugnat lana, resultántque,

Effusi saxorum imbres, grandésque sarissæ;
Immotus pinnas murus super æthera tollit.
Vim cœli agnoscit fracto Malgurrius ictu;
Irámque vltricem, & rabiem, sæuásque procellas,
Euxinum tulit in Pontum, scytichámque paludem,
Allapsu molli tranquilla per æquora lembus
Euolat, & summum signat vix tramite fluctum,

XX.

Varia nauigationes.

INterea Iuuenis blando sermone stupentem
Heroëm alloquitur; silet hîc; atque admouet aurem.
O Regum splendor, nam noui Regem, animúmque,
Propositúmque viæ; Venetas quid pellat ad oras
Nec latet, & tanto quid mens sub pectore verset.
Desine mirari quanquam vernante iuuentâ
Pingar adhuc, tenerisque ætas adolescat in annis;
Lustraui, quantum in spatium se promouet orbis,
Qui terram includant fines; quis respicit Arctum
Limes Hyperboream: surgat quo cardine Titan;
Quove diem signet medium: & quibus occidat Indis,
Lustraui & maria: emensus quæ littora frænant
Oceanum: pelagus medium quibus influat oris:
Quive sinus Nereum effundant, montesve coarctent.
Sæpius & Venetam inspexi quò tendimus vrbem,
Calleóque & gentem & mores, & originis altæ
Semina, & illustris cunabula prima Senatus.

XXI.

Situs Venetiarum, & bella Turcica.

FLuctibus in mediis positas miraberis ædes,
Quas nec fossa tegit, vallumve aut mœnia cingunt,
Aut circum amplexum sulco signauit aratrum.
Singula Neptunus supplet, sunt mœnia fluctus,
Sunt turres fluctus, & propugnacula fluctus;

Et

Et vallum & fossas & aratrum sufficit vndâ.
Et chara est sua Neptuno Vrbs; se fundit in imam,
Viscera per venásque omnes, latámque pererrat:
Sed placidus, nullâque vndas turbante procella,
Molliáque intactæ delibans oscula natæ.
Hæc & plura patent. Verùm minus obuia vulgo,
Mens ampla; & tanto quæ se cum corpore miscet:
Consilium æternum, & nulla sub mole fatiscens.
Plurima iam cursu descripsit secula Titan,
Postquàm Vrbem posuere Heneti; cùm sæuus ab Arcto
Attila Romuleas cumulabat funere terras.
Quid non mutatum interea: quæ regna tumultu
Inuiolata manent? quæ non diademata fronti
Derepta, & soliorum actæ Regumque ruinæ?
Italiam quanti sus déque euertere casus,
Et gentes potuere nouæ? Stat in æquoris vndis
Vrbs immota; procul venti, longéque procellæ:
Et par magno oneri succollat pondera rerum.
Scilicet Omnipotens in molem erexit, vt agger
Europam tegeret, Machometanúmque furorem
Frangeret, & motas Orci dispelleret iras.
Tu modó, quò præiêre patres, Vrbs inclyta perge;
Crescentem in Lunam victorem emitte Leonem,
Nec parce aut æri, aut vitæ: Tibi plurima laurus
Nascitur, & veteres instaurat adorea palmas:
Et pòst tempus erit, cùm sæuo Marte odiisque
Regna laborabunt, fraterna nouantia bella;
Tu sola æterni iuratum Numinis hostem
Disiicies. Victríxque olim terráque maríque,
Cretam inconcussum pones generosa trophæum.

XXII.

Angelus agritus.

HÆc dum mirandus Iuuenis præsagia fatur,
Heroëmque docet mores legémque Senatus,
Præcipuósque patrum enumerat: spéque implet euntem:
Lembum improuisus Venetam detorquet ad actam

Et portu excipitur. Flauam iam calcat arenam
Albanus, magno exonerat se pondere cymba.
Quanquàm cura premit, tandem quæ munera digno
Vectori referat, tanto impendátve labori:
Obuertit dum fortè oculos: videt ora repentè
Lucida, & in radiis caput effulgere coruscis
Lux vibrat crispata comas, vectórque beatus
Spiritus est: fixæ nituere coloribus alæ.
Heroï noti vultus, inspectáque forma,
Quæ priùs Hungaricis pugnanti occurrit in aruis,
Exprobransque nefas, armis auellere Turcæ
Nititur, & monitum Regi transcribere Christo.
Agnoscit, gratésque parat. Sacra protinus ora
Dilabi ex oculis, vanásque recedere in auras
Nempe poli ciuis, compactum ex æthere corpus
Deposuit, clarâmque vmbram, séque ipse recepit.
Nec tamen Herloe abscedit, curámve relinquit:
Munia sed præstat tacitus, scelerúmque retundit
Blandimenta, simul virtutum infundit amorem.
Rex procumbit humi, diuinum Numen adorat,
Aligerúmque rogat supplex, gratésque rependit.

XXIII.

Oratio Venetis pro Turca.

Interea pompâ illustri, & longo comitatu,
Charites, Venetas verbis orabat ad aures,
Charus Amurati, & Domini mandata ferebat.
Vendraminus sedet in solio, grandæuáque circùm
Turba Patrum; sacer aspirat de vultibus horror.
Tum legatus ait. Magnum est, Dux clare, Patrésque,
Magnum est quod geritur: vestræ momenta ruinæ,
Aut fulcrum Imperij, sunt vestræ arbitria lancis:
Eligite: alterutram statuent suffragia sortem,
Nam quod Amurates optat, si fœdera pacis
Nectitis, & Domino socialia iungitis arma:
Hic pacem æternam, & fidei sacra pignora iurat,
Nec Meccam Venetæ sacrosanctam preferat Vrbi.

Sin,

Sin, quod præpediat Numen, contemnitis vltrò
Fœdera, & horrendum in patriam deducitis hostem:
Bella fero. Dominum ter centum millia stipant,
Delectum orbis agit, volat ad stipendia miles,
Et prædam palmámque sitit: radicitus ædes
Diruet hic vestras, Vrbémque sub æquora vertet.
Sed Musulmanos inter Venetúmque Senatum
Tantùm odij, tantúsque iræ non arserit ignis:
Et bona nos data conciliant; meminisse iuuabit
Semper Amuratem, captiuos compede missos,
Quos pelagi furor ad vestras disiecerat oras.
Nec modò quod poscit, tanti est; ad vincula seruum
Iusta vocat, famulóque parat quæ claustra refregit:
Albanum rapit in nexus: nec iustior vnquam
Belli causa fuit, quàm se & sua iura tueri.
Quin si in Scenderem Patribus pugnare molestum est,
Et pax tuta placet: iurate hanc. Fœdera pacis
Donat Amurates: si neutra lacessitis arma,
Sit satis: in socios habeat, quos non habet hostes.
Dixit. Vendraminus, (subitam dant Numina mentem,
Bellúmque inspirant.) atque aspera curia Patrum,
Chatiti responsa dabant. Neu grandia verbis
Bella minaretur, nec inanem offunderet vmbram.
Nam nec amicitiam Patres, odiúmve morari,
Terrerive minis: terrâ pelagóque repulsum.
Non semel Ottomanum: iustas in prælia vires
Esse super, patribusque pares superesse nepotes.
Quamobrem abscedat, Domino referátque minanti,
Vocibus haud voces, verùm armis arma rependi.

XXIV.

Regis oratio pro se.

MVlta fremens Legatus abit. Sed protinus adstat
Albanus, Patrúmque dari sibi postulat aures.
Curia miratur Iuuenem, spectatáque primùm
Ora, & robusto descriptam in corpore mentem.
Candidior multo miscet se sanguine vultus,

Et pulcher nitet ore pudor : coma funditur armis
Castanea , & varios nigricans se flectit in orbes ;
Albæ castaneâ fulgent lanugine malæ :
Pupillis nigricant oculi : sed fulmina nigro
Orbe latent , & nube caua se fulgetra mittunt.
Membrorum decus augustum , staturáque grandis,
Heroëm effingunt. Mox ora hac voce resoluit.
O castrum Europæ ; miserorum ô nobile Patres
Perfugium ; Turcam immanem compescere nati :
Voce mea vestrum Rex atque Albania supplex
Auxilium implorant : numerosas Turca phalanges
Ducit, & emeritas vocat in stipendia turmas.
Vestrâ & Christiadûm refert : quippe vna ruenti
Epirus molem opponit, frænatque Tyrannum.
Tollite quod superest , Albanum tollite regnum :
Quid vetat Ionio prædonem incurrere ponto ?
Sulcare Adriacum, Venetosque lacessere portus :
Vim facere Italiæ , sanctamque euertere Romam ?
Nec qui poscit opem, trepida formidine nutat
Albanus , contra aut solus non ambigit ire ·
Sed Diuum auspicio, & iussis cœlestibus actus,
Vos vocat in lauri partem , palmamque merendam
Obiicit:Ite in spes certas,amplumque triumphum
Pauca hæc Albanus. Missus simul Aliger alto
Vendraminum , cœtusque Patrum non visus obibat,
Pectora succendens ; afflansque incendia Martis.

XXV.

Rex exceptus à Venetis.

VOce vna clamare omnes : sint omnia contra
Ottomanem, iuuat Albanum defendere Regem?
Hoc duce pugna iuuat.Mox iussa silentia , verbis
Vendraminus soluit , legatum affatus amicis.
Albani nomen quas non peruasit in oras ;
Quisve illi socius bello non ardeat ire ?
Ibimus auxilio, regnumque tuebimur armis ;
Et Deus hanc mentem insinuat ; Deus intimus auctor

Bella canit, ſubitiſque agitat præcordia flammis.
Atque vtinam Regem coram ſpectare liceret,
Fœdera iurare, & dextras coniungere dextræ,
Et dare delectum bello, iuuenumque, ſenumque.
Tunc Heros, Coram hic, inquit, clariſſime Princeps,
Albanus coram, cumulas quem munere tanto,
Ipſe adſum. Veſtris, Patres, me nutibus ipſum
Permiſiſſe iuuat: curâ, ſtudiiſque, roganti
Eſte Patres; longæque dies in ſecula narrent,
CASTRIOTO fauiſſe Henetos ſocialibus armis.
Exin amplecti Regem longo ordine Patres,
Promiſſa aggerere, & teſtari gaudia factis.
Hoſpitio ſignatæ ædes. Holoſerica pendent
Stromata, & Attalico ſquallent obducta labore;
Lecti auro radiant; inſtrata tapetia menſis
Picta arte; aurato lucent abacus argento;
Lecta miniſterio ſeries, famulûmque manipli
Stant prompti ad nutus tanto domus hoſpite digna eſt.

XXVI.

Gazophylacium Venetum.

Quin dum ſeligitur miles, bellóque parantur
Inſtrumenta nouo; Regi Dux impiger vrbem
Exhibet & magna oſtentat miracula pompâ.
Amplam aulam ſubeunt, argento armaria lucent,
Iamque foris retinent oculos: ſed quod latet intus,
Prodigium eſt; tantæ properant in lumina gaſæ.
Aurum quis factum enumeret? Radiante metallo
Bis ſeni effulgent clipei, totidemque coruſcant
Loricæ; ſolido rutilant emblemata in auro
Spargitur in gemmas viſus, delapsáque cœlo
Sydera miratur, paruíſque hæſiſſe lapillis.
Admoto igniti fulgent adamante pyropi;
Candorem baccæ radians carbunculus auget;
Intendit nitidum pretioſus iaſpis achatem:
Et Gangem breuis arca capit. Cuncta inſpicit Heros,
Nec capitur, gasíſque nihil niſi lumina donat.

Dux

Dux iactat formatam vna callaide lancem,
Littera niliaco quam circùm plurima ductu
Ambit, cæruleo splendens radiosa monili;
In gemma doctrina placet, Regémque character
Detinet, & mentem stud oso ænigmate pascit.
Tum Venetus mirabile vas viridante smaragdo
Effectum ostentat, pretiúmque his vocibus auget.
Hoc vnum orbis habet, Regis mirabile donum
Cassani; firmi in Patres quod pignus amoris
Miserat, & testem dextræ cum Perside iunctæ.
Tum nomen Cassani Heros, præclaráque gesta
Prædicat, & magni Regis se laudibus explet.
Dux tandem immensas, Naturæ Artísque labores,
Monstrat opes, satiátque oculos, & vota lacessit,
Bisantinæ, inquit, cladi super ista fuerunt,
Cùm Franci expugnant vrbem; Græcóque ruinam
Dandalus Imperio, atque fidem fallentibus, infert.
Multa super Francis, Veneto super, & Duce; multa
Rex rogat; ardorémque parem sub corde volutat.

XXVII.

Armamentarium.

AT Venetus. Noui Regem; mens diuite gasâ
Non rapitur; tantísque bonis occlusa cupido est.
Nec nos possessa afficiunt; scimúsque caduca
Victoris spolia, extremámque sequentia palmam,
Sunt aliæ Venetis, queis curam impendimus omnem,
Diuitiæ; spes,& fulcrum, tuteláque regni.
Exin magnificas Regem deducit in ædes.
Aspectum hinc illinc ornata Palatia claudunt;
Atque oculos sibi quodque rapit. Mars regnat in amplis
Ædibus, & vastis se totum expandit in aulis,
Armorum hic genus omne nitet, spisso ordine fulgent
Parietibus, mensásque onerant, gressúmque morantur,
Letiferi pendent arcus, celerésque sagittæ,
Corytíque leues, lucentia spicula ferro,
Hastæque,& longæ como crispante sarissæ,

Et

Et iacula, & telum libitina quod eminus infert.
Appensæ rutilant galeæ, cristæque comantes;
Scuta interfulgent, clypeíque vmbone minaces,
Thoracésque graues ferro, & mucronibus enses
Terrifici, chalybísque acies falcata recurui.
Plaudit Rex animo, sensúmque hac voce recludit.
Et verò, hæ dignæ Veneto sunt robore gasæ.
Turcarum sint diuitiæ, fulvúmque metallum,
Sint gemmæ; modò Christiadûm sit portio ferrum.
En meæ opes, gladij, venabula, tela, sarissæ.
Tum plura inspectat Mox dextram accommodat ensi,
Mox iaculum crispat, quatit inde hastilia longa,
Et Turcam iam mente bibit. Sed in atria ducit
Proxima Vendraminus, tormentáque bellica monstrat.

XXIVIII

Tormenta bellica.

Ferreus hinc aries, libranda hinc machina surgit,
Hinc telis balista ferox; & cætera quondam
Instrumenta necis, patrum euertentia muros.
At bombardarum series lato ore minatur,
Terrorémque facit, sileat licet; arcta vbi tandem
Fulmina prorumpent, dirâ quàm strage loquetur.
Nuper id inuentum stygius procuderat hostis,
Tradiderátque homini; genus hinc mortale repertum
Excolit, & sæuo parat hinc alimenta furori.
Materiam ostentat Venetus, limámque periti
Artificis, iactátque globos immania tela.
Rex silet, at gemitum postquam alto è pectore soluit;
Fortium, ait, pestis, quis te furor edidit orbi?
Busirísve quis inuenit? num corpora ferro
Sternuntur sat multa? nisi mors excitet ignes
Tartareos, tonitrúque Vocet, fulménque Tonantis?
Fatum hominis tanti est, vt cœlo orcóque petatur?
Sic queritur, pergítque vltra. Se porrigit amplè
Lata domus, nauésque capit, celerésque triremes.

XXIX.

Nauium fabrica.

HIc grauia irato nectuntur vincula Nereo,
Et iuga fluctiuagis vndis, freníque procellis:
Hic maris imperium, hic Venetæ laus maxima gentis,
Neptunóque Tridens raptus, partæque Coronæ,
Albanus stupet admirans. Operæ ordine spisso
Incumbunt, labor vrget opus noctémque diémque.
Hinc fabri ferrum excudunt; sonat anchora versa
Forcipe, & ingentes rostra armatura carinas.
Hi formant proram, & puppim; cornum alter in alas
Explicat, & truncæ fabricatur brachia naui.
Quin, & fœmineis patet ampla industria curis;
Vela suunt, telásque parant, ventísque secundis
Carbasa & immensis detexta rudentibus aptant.
Non aliter, cùm Neptuno, super æquora, regni
Sors data, & imperio pelagi cessere procellæ:
Tritones currum ædificant, cicurantque marinos
Quadrijuges, formántque rotas, atque vnguine læuant:
Et grato succinctæ operi Nereides instant.

XXX.

Murranus Insula.

SIc Venetus Regem oblectat. Iuuat ire per vndas
Adriaci, & pictâ fluctum sulcare carinâ.
Muranus medium celebris secat insula pontum,
Deliciæ Pomona tuæ: Palatia surgunt
Marmorea, & circùm areolis florentibus halant.
His postquam Rex visum implet: spectátque liquentes
Fornaces, vitrúmque fluens, flammísque subactam
Crystallum, & mundum fragilem, & miracula ficta.
Postquam epulo recreata fames. His vocibus infit
Vendraminus Regi. Cœlum cùm lumine Titan
Partitur nęcdum medio: cùm lecta iuuentus

Au diat,

Audiat, & ſtudium narranti accommodet ardens :
Dic qui te caſus, quæ te fortuna ſequuta eſt.
Cùm Turcæ obſes eras : donec te compede miſſum,
Libertate Deus, regnóque beauit auito.
Cætera nam noſtras ſonat ingens fama per aures.

Finis Libri primi.



LIBER



LIBER SECVNDVS.

ARGVMENTVM.

Post varios casus, SCANDERBEGVS ab Angelo victore, ad Christianam fidem conuertitur.

SCANDER

SCANDERBEGI
LIBER SECVNDVS.

I.

Rex puer Amurati traditus.

Rex hæret tacitus, memori dum mente recurrunt
Longè acta; & teneræ robusta exordia vitæ.
Tum sic affatur. Quando, Pater optime poscis;
Facta renarrabo: quanquàm pudet improba fari
Principia, & fœdos maculata ab origine riuos.
Certè animus meminisse horret; tamen omnia pandam:
Quæ memini, gradus est, veniæ, commissa fateri?
Nec summi laus parua Dei est, scelera ampla nocenti
Donare, & medio diademata cudere cœno.
Audistis iam prima reor; fortuna Parenti
Quæ fuit; vt bello fractus, sua pignora Turcæ
Tradiderit natos; fidei monumenta futuræ,
Seruitiíve, notas, quid enim neget ille Tyranno,
Qui sobolem, & tanti nexum permisit amoris?
Fratrum ego postremus, natúque tenerrima proles,
Lustrum vno superabam anno; cùm traditus obses,
Iam placui; siue hæc ætas minus apta timeri,
Seu mollire magis, blandúmque incendere amorem.
Heu magno stetit ille fauor, mouisse furorem
Præstaret, saltem incolumi pietate perirem.
Sed malè dilexit Princeps, penitúsque medullis
Admisit puerum. Quin dicitur impiger Idmon

Astrorum

Aſtrorum inſpector, quæque euentura peritus
In vultu atque oculis legere, & mortalia fata
Præcipere, ingentes laudes, famámque perennem
Portendiſſe mihi: membrorum & grata venuſtas,
Auguſtique oris ſpecies promiſſa fouebant.

II.

Acmeto puer traditur.

PRimùm ergo ſæuus me relligione parentum
Orbat Amurates, Machometóque impius addit:
Quamquam ego; te cœli Dominum, & vos conſcia teſtor
Numina, nec Chriſtum abieci, nec mente ſub ima
Admiſi Alcoranum: ſed blandimenta minæque
Excuſſere animum, & ſimulantia verba dedere.
Nec me ideò culpæ expertem, inſontémve fatebor,
Sed letum antè fuit ſubeundum, atque aſpera fata,
Religio quàm te verbo nutúve negarem.
At me Zoroſael impuræ dogmate legis
Erudit, & tenero infundit ſub pectore virus
Dogmata manè canit, canit & ſub veſpere ſero,
Sollicitus: doníſque acuit, laudátque ſtudentem.
Et ſimul Acmetus datus eſt ſuper arma magiſter,
Qui molle induret corpus, variiſque refingat
Membra exercitiis, belliſque ferocibus aptet.
Ille domare famem & tenui compeſcere victu,
Ferre ſitim, longos æſtus hyeméſque niuoſas
Perpeti, & ad ſeras vigilem perſiſtere noctes,
Exemplo docuit: dura tellure ſoporem
Carpere, & ad nutum primos abrumpere ſomnos.
Quin monitis ſæpe inflammat. Quæ ſemita laudis,
Diſce puer: quibus, & curis ſit Gloria merces.
Sperne voluptatum illecebras, ſperne aurea ſortis
Dona, & opes magnas: nec te ambitioſus honorum
Ventus agat, vaníſque animum conatibus inflet,
Inſternátue gradus, ſcelera & te in peſſima ducat.
Virtutis ſobolem Laudem cole: Gloria vera
Naſcitùr ærumnas inter duróſque labores.

Hæc

Hæc tibi ſit regnis potior, ſit, & vltima votis
Meta tuis; ſortémque tibi creet illa beatam.
Ille rudem ſic fomabat virtutis amore.

III.

Jaculandi peritia.

MOx ego collimo neruo vibrante ſagittas,
Delibóque ſcopúm propiùs: venatibus inde
Miſceor, & damas ferio, ceruóſque fugaces:
Et fumantis apri dorſo venabula tingo.
Mox teneris plaudo vada reſtagnantia palmis,
Aduerſo pugnóve amni: mox fluctibus altis
Abluor, & validis pulſo freta ſalſa lacertis.
Incrementa dabant anni; ſimul aucta patebat
Dexteritas; animíque vigor cum corpore creuit.
Et creſcens placui. Memini cùm regius Auceps
Sectabatur aues; curſu fremit Aulicus omnis,
Et Regem currentem ambit. Volat ecce per auras
Ardea, & in tanto ludit ſecura tumultu.
Extemplò ſoluuntur Aues; ſonat æthere Falco,
Æſalóque; & magnis famuli clamoribus inſtant.
Sed prædam aſpernantur Aues; ſecat Æſalo cœlum
Oppoſitus, ſiccâ indignans ſedet arbore Falco.
Inſtaurat clamorem Auceps; vocat, incitat, vrget;
Exprobrat ignauis requiem, illicióque laceſſit.
Illi hærent, prædámque negant. Secat Ardea nubem
Interea, ſtreperóque aures clangore fatigat.
Indignatur Amurates, iámque omina læua
Cogitat, illudentem hoſtem, ſuáque arma repulſa.
Ergo nos, inquit, volucri ludibria; tótque
Rideat vna viros; quin corruit illa ſagittis,
Purgátque auſpicium. Dextrum dabit omen arundo.
Dixit. Momento ſublimis inhorruit æther
Nube ſagittarum, ſonitúque remugiit aura.
Aſt auis illibata volat; cadit irrita grando
Telorum; magis incensâ Rex æſtuat irâ.
Tunc ego ſelectam pharetrâ depromo ſagittam,

Arcúmque incurvo ; ſonat hic, volat illa ; volucris
Labitur ; irriguo ſignatur tramite cœlum,
Et prædam infixam ferrata reportat arundo,
Rex gaudet, facinúſque immenſis laudibus ornat.

IV.

Natatio celebris.

MOx felicem arcu, ſequitur fortuna natantem,
Præmiáque ingeminat. Bythino in littore pontus.
Quà ſedet, & rutilam mollis delibat arenam,
Fluctibus in mediis ſcopulus conſurgit ; ab acta
Eſt ſpatium, quantùm geminus ſignauerit arcus.
Regius huc plauſurus aquas contendit Ephebus ;
Spectat Amurates ; puerorum incenditur ardor.
Littora ſtipamus nudi, ſignum inſonat ære,
Præcipitamur aquis ; circùm toto æquore feruent
Brachia ; fluctivagi volvuntur in orbibus orbes,
Et viuas vehit vnda rates, palmíſque miniſtrat.
Non aliter pelago ludit, Nereúmque flagellat,
Delphinûm numeroſa cohors ; poſtquam æmulus ardor
Impulerit, faciléſque vias inſtrauerit æquor
Inconcuſſum Auſtris, vitreóque natabile fluctu.
In ſcopulo lauro intextum Diadema refulget,
Implexum baccis, multóque nitens adamante.
Prouehimur ponto ; Scopulus votum omnibus vnum.
Solus ego ante alios longè prægreſſus, ad oram
Enato & ornatâ præcingo tempora lauro.
Regrediebar ouans, ardénſque cupidine laudis ;
En curſu in medio, prorumpit ab æquore Piſtris ;
Et magna me mole petit : per hiantia dentes
Ora horrent, vaſto barathrum ſe gutture pandit.
Quid facerem ? monſtro infelix iam præda vorabar ;
Cùm ſubitò corpus circùm lux funditur ingens,
Méque rapit morſu. Mox luce incluſa tridentem
Dextra vibrat, monſtrúmque ferit ; cruor vbere rivo
Effluit, & vitreas tabo latè inquinat vndas.
Eripior, factóque ſtupens, premo tergora piſcis,

More

More triumphantis, curvóque in littore sistor.
Sed non his conscripta dies, cœlíque fauentis
Munera. Quà monstri caput alto vulnere scissum
Ingens scintillat rutilo carbunculus igne,
Blanditùrque oculis.Stupet ad miracula Princeps,
Méque arctè amplexus. Puer,ô maioribus,inquit,
Nate bonis,nostræque olim laus inclyta gentis,
Præmia quæ te digna manent! hæc pignus amoris
Gemma sit,& primæ monumentum insigne iuventæ.
Sic gemmam dedit, & quis te Carbuncule temnat,
Instaurantem amplas vires,robúrque nouantem
Corporibus, grauibus somno,fessísque medentem!

V.

Vires aucta divinitus.

AVgebat quin dona Deus.Confinia lustri
Libabam terni;puerum iam fortior ætas
Abdicat,& calido turgent iam sanguine venæ.
Carpebam somnos. Placida micat ecce quiete
Aliger, ingenti radiant fulgore fenestræ.
Hæ voces pulsant aurem.Quis te puer error
Fascinat? impietas quæ te cita deripit Astris?
Sed Deus indulget misero,sperátque nocentem
Mutare in melius;nunc munera congerit vltrò,
Sis memor, & quondam gratus tot dona repende.
Tunc nudos artus liquido circùm vnguine fundit,
Brachia præsertim; at palmam dextrúmque lacertum
Ter liquor intingit; neruis atque ossibus altè
Imbuitur, carpítque fibras, hærétque medullis.
Spirat odor succo Ambrosius. Vanescit in auras
Aliger; excutior somno, vegetósque per artus
Vis fluit, & firmo durant se robore membra.
Et munus cœleste patet.Dum manè per hortos
Ludit Amurates; ceruam,sic otia fallit,
Pascendo & cicurem sertis florentibus ornat?
Illa per areo'as Domino secura vagatur,
Cingimus hanc lusu iuvenes, blandóque tumultu

Inſequimur, prædámque agimus facilémque tenemus.
Terribilis ruit ecce Leo; clauſtríſque refractis
Sæuior, incurrit turbæ, mortémque minatur.
Diffugiunt ſocij, cerua intremit, arma Tyrannus
Stipantum inclamat; ſtant longiùs; imminet ardens
Bellua, & immanes in prædam exuſcitat vngues.
Sicut eram, læuo chlamidem compono lacerto,
Et lanâ clypeum effingo; fartum intrat in ora
Brachium, & obducto lentat fera fulmina fræno.
Tunc dextrâ intrepidus maxillam infigo ferocem.
Víque eluctatus vello, diuulſa trahentem
Illa manum ſequitur, palmámque abrupta cruentat.
Exanimis fera procumbit, circum area tabo
Stagnat, & euomito fœdantur ſanguine flores.
Exin me Princeps, Proceres, armataque turba,
Mirari; & certas in me portendere palmas.

VI.

Rex miles; equus Corbutus.

IAmque pares bellis animos, bellíque periclis
Spirabam, & vegetæ ardebant ſub pectore flammæ.
Ænea ſanguineum cecinerunt claſſica martem,
Inqúe rebellantes inſurgit Turca Triballos,
Orabam Dominum ſupplex. O maxime Regum,
Cui palmas bellum omne metit, da ponere belli
Prima rudimenta, & ſub te pugnare magiſtro.
Nec teneram ſperne ætatem, inſuetúmque labori
Corpus; & aſſiduâ duraui membra palæſtra;
Et præit ætatem virtus, & ſufficit annos.
Nam ruere in ferrum quis te ductore recuſet;
Quíſve ſequi, quò dextra ferat? ſecura periclis
Fit via quam purgas, Arces tuus erigit enſis.
Laudat Amurates, animóſque amplexibus augens;
I, puer, inquit, & accelera quò ſydera ducunt;
Quantus eris! quantos ferrum tibi demetet hoſtes!
Imperat arma mihi, loricam, enſémque parari;
Et ſors præbet equum. Dum vaſtum inſpectat equile,
Quadrupedeſque

Quadrupedésque legit Princeps, & destinat armis;
Loro vnus fracto erumpit, calcémque fatigans
Hinc illíncque ferit? quà se lata area pandit,
Exultat, libérque auras hinnitibus implet.
Turba ministrantum insequitur, milésque sarissas
Intendit: volat acer equus, fallítque sequentes.
Iámque iubet cædi Domitor, Regíque molestum
Asserit, & nulla indomitum quem fregerit arte.
At sonipes, longis propiùs fulgentibus hastis,
Effugit, & facilis mihi se, mirabile visu
Admouet, & dextræ palpanti accommodat iram.
Hinc cicuri frænum iniicio, dorsóque tapetem,
Et iam terga premo. Quà flectitur, audit habenas,
Et promptam exhaurit virgâ moderante palæstram:
Voluitur in gyrum, curuósque recolligit orbes,
Consistit nutu, cursu volat, ardua ceruix
Erigitur: spirant vastis de naribus ignes.
Hic Corbutus equus; stadio mihi fidus & armis,
Qui me vnum admittit, quémque vnum prælia miscens
Insideo: grauior quem nondum infregerit ætas:
Tantum robur alit. Sed tandem Amuratus in hostem
Irruit, & validos incessit marte Triballos.
Plurima quid narrem: vicit, gentémque rebellem
Perdomuit, retulítque domum victricia signa.
Et mihi laus parta est & præmia digna laborum:
Præter opes, prædámque amplam: Saniacus equestri
Præficior turmæ; & vix miles duco maniplos.

VII.

Pugna cum Scytha.

Victores Adrianopolis secura tenebat;
En bellator adest. Scythica procul ille palude
Quà Tanais ponto rapidis immergitur vndis,
Bella ciere venit, Martémque lacessere ferro.
Mole ingens, lato turbam supereminet armo,
Despectátque infra, nigrescunt horrida setis
Labra, superciliis siluescunt lumina nigris,

Abſtruſóſque orbes condunt: frons arcta capillis
Delitet, abraſi pendet cutis aſpera menti,
Tum ſic ore tonat. Numero gens Turcica fortis,
Non virtute; virum ſi quem ſtipendia veſtra
Formarunt, dignúmque vno finxere duello,
Prodeat, & mecum paribus depugnet in armis:
Præmia victori, celſúmque ex hoſte trophæum,
Cuíque ſuæ ſit gentis honos. Sed mollia vobis
Corpora deliciis, nimiúmque indulta voluptas:
Nos auſtera fames, hyeméſque algente pruinâ,
Indurant: quibus antra domus, & ſaxa cubile.
Sic ait. Excelſam criſpat dextra horrida pinum:
Plúſque oculi quàm verba ſonant. ſub pectora latè
It pauor, & timidas vinxere ſilentia linguas.
Aſt ego, verba viri & faſtum indignatus amarum,
Prodeo. Et audaces, inquam, non prælia poſcunt
Iſta viros: ſatis eſt puero proſtraſſe minantem:
Diſce Muſulmanæ bello quàm fortia genti
Pectora ſint, vanúmque iacens depone tumorem.
Campus erat, latè validam diffuſus ad vrbem;
Hic pugnare iuvat: muris proſpectat ab altis
Turba: ruit miles portis, campúmque coronat.
Ille altâ ſublimis equâ, celſo æthere ſplendet,
Spectantúmque oculos figit. Premo terga ferocis
Corbuti, & cogo adductis parere lupatis.
Sunt clypei in læuis, onerant haſtilia dextras;
Mucro nitet ferro: tuba pulſat ahenea ſignum:
Momento rapiuntur equi. Sic qua data porta,
Præcipitant venti: Nereus ſic æquora fluctu
Agglomerat: rupto excurrunt ſic fulgetra nimbo.
In clypeos haſtæ incurrunt: ſed frangitur haſta
Hoſtilis, fragmenta volant disjecta per auras.
Ipſe ego, quamquam ictu nuto, membríſque vacillo,
Pilo orbem aduerſum ferio: mucro effodit altum
Pectus; per clypeum, per loricámque trilicem
Tranſilit & totâ pulmonem intercipit haſtâ.
Exundat de fonte cruor, latóque ſonorus
Vulnere, luctantem pellit de corpore vitam.
Moles vaſta ruit; grandi ſub pondere tellus
Ingemit

Ingemit, horrisono crepuerunt arma fragore.
Hinc mihi fama oritur celebris, nomémque perenne.

VIII.

Pugna cum Persis.

NEc mora; præficior bello quod Caria fortis
Commouet, & Cilicum trahit in sua castra phalanges.
Et reor, ad vestras rumoribus appulit aures,
Quod gessi; vt victor renouantem prælia fregi
Caramanum; vt triplicem peperit victoria laurum;
Nomine quas vrbes, ferro quot pandimus arces,
Dum pacem exposcit victus, legémque recepit.
Nec repetam. Quid enim non incomperta referrem?
Vnum est, quod famâ quamvis inclaruit orbi;
Non sileam; nam miscuit hæc mendacia veris;
Et magni hinc casus. Post victum, armísque subactum
Caramanum; Regis plausu, gratísque fruebar
Muneribus; lætam afficiunt mea gaudia Prusam.
Perside ab extremâ, gemini natalibus orti
Nobilibus Iuuenes, famulûm stipante cateruâ,
Vrbem intrant, Regémque adeunt, corámque loquuntur.
Laudis amor, famæqúe sonus, nos, inclyte Princeps,
Huc agit, & palmæ quærendæ innoxius ardor.
Scanderbegi ingens nomen, trans æquora vectum,
Terrásque, in nostris procul hinc percrebruit oris;
Et vires animúmque, & bello felicia gesta,
Fama tulit. Nos exciti virtutis amore,
Tentamus pugnam: solus certabit in vnum,
Aut gemini, comitem si Mars adiunxerit vni:
Lancea, parma breuis, sint arma, ensísque recuruus;
Cætera nuda teget sors, aut industria victus.
Progressus pugnam admitto; geminósque duello
Prouoco, & ambobus facilis me partior vnum.
At non Acmetus, pugnæ discrimen iniquæ
Sustinuit, fidus belli meus ille magister;
Et quanquàm emeritis splendent iam tempora canis,
Robur inest membris, viuæque in pectore flammæ;

Se mihi dat pugnæ comitem. Cita fama per vrbem
Sparsa gynæcæo volat, & Palatia complet.
Ergo iuuat pompâ illustri certamen inire.
Regia quà surgunt vario de marmore tecta,
Area longa patet, latis subiecta fenestris;
Hæc seruili operâ flauis cumulatur arenis;
Erecti circùm clatri campúsque notatus.

IX.

Pugnantium ornatus, & certamen.

MAgnifico Persæ cultu, gemmísque corusci,
Exagitant ostro instratos, auróque iubatos
Alipedes, iactántque hastas, & ludicra fingunt.
Et nos ornari Dominus iubet. Aurea texto,
Nam memini, vestis, nitidis annexa pyropis,
Et chlamys Attalico circùm depicta metallo,
Pendebant humeris; lucebat acinace gemma;
Calcem aurum, Suras argentum ductile vestit,
Centum orbes telam inuoluunt, capitíque refulgent
Impositi, fulget compactum adamante monile;
Ardeolâ resplendet apex; luditque per auras.
Quin & Corbutus gemmis auróque superbit:
Serica vincla iubas nectunt, roseóque colore
Fræni aurum incendunt; bellax sub diuite gasâ
Exultat sonipes, iactátque micantia colla.
Sultanæ clatris oculo fugiente latentes
Prospiciunt, spectat celso de pegmate Princeps.
Iámque tubæ clangor pompas in prælia vertit,
Confundítque Equites. Cursu rapiuntur anhelo
Quadrupedes, aurum obliti, cultúsque decorem.
Momento obiectas quatiunt hastilia parmas;
Heu vario euentu. Valida transfigitur hasta
Acmetus, flauámque iacens consternit arenam;
It cruor, & vitam gemino de vulnere fundit.
At nos marte pari fractis transcurrimus hastis,
Imm oti paritr ? conuerto fræna, ferórque
Ense minax; specto Acmetum, fusúmque cruorem;

Et vindex rapior: primi iámque immemor hostis,
Tantùm amor, & cæsi vrgebat vindicta magistri,
Pœnas posco necis; sequitur mucrone parato
Æmulus, & dorso ferrum prætendit inermi.
Spectantum exoritur clamor; monitúsque pericli
Ora citus verto: in parmam ruit irritus ensis.
Tunc ego, vindictam duplex incenderat ira,
In caput intento gladium, scutum obiicit hostis:
Sed scutum gladius, capitísque plicatile tegmen
Transfodit; inque caput penetrās, collúmque humerósque,
Abrumpit medium pectus, renésque recidit:
Partibus hinc illinc corpus diffunditur æquis.
Nec mora; qui superest iusto certamine Persam
Aggressus, dextrâ exterior, fulgentia torque
Colla seco, in læuum ferro excendente lacertum:
Pelle caput pendet, dimanat sanguine truncus.
Victorem Dominus passis amplectitur vlnis,
Accumulat laudes, & amorem in præmia iactat,
Sed pergit, nec dum stetit his Victoria palmis

X.

Amor Alarinæ.

Reddebar laribus, priuatímque otia tandem
Captabam, cùm me Eunuchus multo obsitus æuo
Aggreditur, chartámque offert, tradítque legendam.
Scripta lego. Noua palma tuis Alarina triumphis
SCANDERBEGE oritur. Plura his Eunuchus Alazon
Dicet, & in cunis grandem narrabit amorem.
Tunc sic Eunuchus fatur. Peruenit ad aures
Credo Alarina tuas, Amurato chara parenti,
Vna gynæcæi quæ formosissima virgo:
Illa tuas laudes primis dilexit ab annis,
Ludentem dum regali prospectat in horto,
Æqualésque supra surgentem: hinc, auribus hausit
Assiduis quæ fama canit: tecúmque periclis
Pugnauítque animo, & victrix tua gaudia sensit.
Ah, quoties, dixit, siquam dignabere nexu

SCANDERBEGE

Scanderbege tori; felicem ô, si mea vota
Implerent Superi; fateor, non regna, nec aurum;
Vnum te, & thalamos optarem nupta iugales.
Sæpius hæc fando erubuit; lacrymisque per ora
Suffusis, grassantem intus testatur amorem.
Spe miseram & famâ rerum solabar inani.
Mox tandem, postquam carpentem è Perside lauros
Lustrauítque oculis, penitúsque in pectora misit
En, inquit, morior, pater ô charissime, natæ
Succurre. At miseræ nullum solamen alumnæ.
Sit pudor incolumis; sic sic iuuat ire sub vmbras.
Quanquam ô! si casto pudor hic non pugnat amori,
Nec puram prohibet sociari fœdere lecti;
I pater. Et chartam dedit, appictámque tabellam.
Sic ait Eunuchus, pictósque in pixide vultus
Ostentat? quales Superi! quæ sulfure flama
Corripitur, subitósque ignes sub fomite miscet,
Lentior est; totâ concepi incendia mente.

XI.

Apparet Regi mortuus pater.

AT mors dura nimis gratum conturbat amorem,
Et niuibus flammam aspergit. Fama implet amantem
Funere, quo genitor morbo intra mœnia Croiæ
Occubuit, regnúmque mihi transmisit habendum;
Abstulerat fratres Libitina. Hoc funere menti
Incussi stimuli; dolor ingens, & pudor vrgent,
Et sceptri ambitio, & regni moderamen auiti.
Contra surgit amor, vincítque, & pectore honorem
Excutit, & viuâ sæuus dominatur in arce.
Ipse & Amurates concepta incendia pascit,
Spémque facit votis; siue hæc sententia; regno
Siue animum auertat fingens, solióque paterno.
Incumbo dum certam in spem, falláxque cupido
Totum implet; medium turbant simulacra soporem,
Funestántque torum. Pater ecce ad limina lecti
Sistitur; agnosco effigiem, vultúsque verendos.

Sed

Sed Pater, ô Superi! quantùm diuersus ab illo
Qui Croiæ muros, Albanáque sceptra regebat.
Os horret macie, deformat lumina squallor,
Grandes emanant lacrymæ, suspiria vellunt
Pectus, & ingentes circumstant membra catenæ.
Heu, spectrum horrendum! pascuntur in artubus ignes,
Ossa vorant, flammæ circùm stipantur edaces;
Et Pater est fornax. Tum lamentabile carmen
Personat, & tangit vox illacrymabilis aures.
Patrem nate vides, & quas iusta vltio pœnas
Imperat, & meriti monumenta insignia luctus;
Hæc tu nate paras, nostri tu causa doloris.
Purgante excrucior flammâ, magnísque flagellor
Suppliciis, quod te insontem, tenerísque sub annis
Tradiderim Turcæ, diræ impietatis alumnum;
Perstabúntque ignes sæui, pœnæqúe nefastæ,
Excutias dum triste iugum, Christóque vocanti
Redditus; eiures & gentem & perfida vota.
Quid demùm expectas; fidei desertor auitæ?
Num satis in noxas noxarum pondera demens
Aggeris? irato nunquam placabere cœlo?
Nec te honor, aut regni stimulabit honesta cupido?
Aut præstat sæuo ætatem seruire tyranno,
Quàm regere Albanos, hostémque domare superbum?
Et nunc cæcus Amor, nunc virgo ambita, toríque
Deliciæ molles, animum implent; nunc tibi Virgo
Est pater & regnum: sed perge, his vrere flammis.
Istis dum crucior; dolor heu pugnabit amori.
Vmbra fugit: somno solvor, sudore madenti
Perpluor, & validos subitus tremor incutit artus.
Et potui tunc cæcam animo dispellere noctem.
Ni praua ambitio, atque insanus Virginis ardor
Diuersum abriperent: vitiis nam lubrica semper
Est via, virtutem labor & saxa aspera claudunt.

XII.

Regis periculum.

QVin Deus aduersis pectus mollire parabat.
Tentabátque aditus. Grandis fortuna patebat
Inuidiæ; nec multa coquit tam prospera liuor.
Assaronus Procerum Princeps; gasáque opulentus,
Riualísque latens, zelo geminante furorem;
Me Regi accusat; conuersum in patria regna
Consilium, promptámque fugam, comitésque paratos.
Persuadet plerumque timor; credúntque Tyranni
Quæ metuunt. Subita incautum me vincula nectunt,
Addicúntque neci, Dominum Sultana moratur,
(Hanc Alarina mouet) precibúsque expugnat, vt antè
Audiat, & crimen coram testésque requirat.
Vt vinctum aspexit, sed non formidine fractum,
Abiectúmve animo; sic iram in verba resoluit.
Præclarum ô Regem! dignum qui frænet habenis
Æmathiam, & proauos qui signet imagine reges!
En sceptrum, adstrictas onerantia vincula palmas;
En torquis, laqueus. Túne ausus mente rebelli
Imperium, & populos in fas agitare regendos?
Quem spretum atque humilem vili de puluere traxi,
Qui nec te regeres. Donorum oblite meorum,
Sic in te meus ardet amor? Sic dona rependis?
Fare quis hanc mentem? Quæ tanta insania recto
Depulit? an solus? Sociíne in vota nefanda
Impliciti? furor ísne tuo sub pectore natus?
Hæc sæuûm indignans. Mox bilem iniuria verba
Incendunt; mortísque metum mors proxima tollit.
Idne, inquam, scelus est, quod ius finit! Ergo paternum
Imperium, natis scelus est, criménque nefandum?
Id scelus, id crimen, cùm tu mea regna parenti
Eriperes, cùm sæua dares in funera fratres?
Cùm mihi nunc mea sceptra rapis: quanquam hactenus illa
Spernebam; nec peccaui quo crimine damnas;
Peccaui, fateor, falso quòd captus amore,

Et

Et patrem, & patris solium, verúmque decorem
Spreuerim, & vltrices fraterna ob funera diras.

XIII.

Rex liberatur.

HIs furor arsit Amuratis. Stricto irruit ense,
Et letum parat intrepido; sed dextera in ictu
Diriguit, subitáque horrent torpedine nerui.
Insinuat ferrum læuæ, simul illa gelascit
Frigore, & obductos penetrat rigor asper in artus.
Quin animum rigor inflectit; vota impia mortis
Mutantur, meliórque Deus mentem afflat amicam.
Et somnum dum nocte capit, noua somnia terrent.
Méque nisi indemnem seruet, mala fata minantur.
Mox Sultana preces iungit, natæque roganti
Se totam impendit, liber dum carcere mittor.
Pellitur Assaronus; mihi restaurantur honores,
Gratiáque, in Cilices etiam legata potestas.
Plagam animi Dominus verbis dein palpat amicis.
Fili; nam natum affectus genitoris adoptat;
Naturámque emendat amor; charissime Fili,
Immemorem spero, modò quod peccauerit in te
Inuida, & solitis conspirans fraudibus Aula.
Fulget in aduersis Virtus, maiórque resurgit
Cùm patitur, laudésque ferit, cùm crimina suffert.
Nunc parat integritas sibi præmia; nunc tibi sponsa
Est eadem, intrabit thalamos Alarina iugales,
SCANDERBEGVS erit sanguis meus. At priùs vnum
Otmanici decus imperij, & tua gloria poscunt.
Hunniades, nostris clarus iam stragibus orbi,
Hostísque assiduus, violato fœdere pacis,
Pannones, & Draui trepidantis littora vastat.
Hæc feritur tibi palma, tuis hæc summa coronis
Laudibus, I. vince; hac lauro optatos hymenæos
Conficies, nostráque potens regnabis in Aula.
Dixit. Amor, Laus, Ambitio, sub pectores mistos
Infigunt stimulos, mittúntque in castra volantem.

XIV.

Pugna in Hunniadem.

HEu mihi! quàm spissâ tenebræ caligine fusæ!
Quàm mente auersâ! præceps quæ in damna rueb am!
Sed me Numen amans, invitum vltróque ruentem
Servat , & ingenti lapsantem educit abysso.
Pugnam ardens ineo: densatæ vtrinque Phalanges.
Concurrunt: stemit latos mors ærea campos.
Vnum opto Hunniadem, clamore oculísque requiro
Hunniadem: tædet plebeij funeris ensem.
Iámque coronabat felix victoria Lunam,
Pellebámque aciem: cùm se fulgentibus armis
Hunniades dudum votis flagrantibus offert.
Vt rapit accipitrem digitis Iouis armiger vncis,
Quem vesana fames vrget, nidíque tumultus:
Talis agor. Præceps dignum premit impetus hostem
Excipit ille ictum, clypeóque nitente refringit.
Ferrum conserimus. Verùm hic vestigia retrò,
Paulatim Martémque trahit: nec vulnera ferro
Vt prius intentat: satis est arcere minatem.
Insequor, & rapidâ victor iam mente, coruscum
Circumquaque ensem, & plagas, & funera verto.
Tum pugnæ lusu innocuo, procul abstrahor agrum
In vac uum, longéque acies fera prælia miscent.
Pertæsúsque moræ: Túne, inquam, is nomine tanto
Hunniades? Túne is famâ notissimus orbi?
Tot lauros fugiénsne metis? sic transfuga Martem
Deseris? imbellis tractat cur dextera ferrum,

XV.

Regem Angelus monet.

SI totus læva es? Dicebam. At sistitur hostis
Extempló, gladióque minax: hic te docet, inquit,
Parciùs insultare & non fremere ore superbo:

Et

Et simul in galeam letali fulminat ense:
Plano equidem: nàm cæsim acie feriisse pepercit.
Mirum! sternor humi; sonipésque affligitur ictu,
Metimúrque solum; surgendi nec mihi vires,
Aut animus, penetrans imis stupor ossibus hæret:
Tollo oculos, implétque oculos mirabile visum,
Fulmineus perit Hunniades, altérque repentè
Nascitur & præstans bellantem expungit ephœbus.
Spectantem lux præstringuit, circúmque refusæ
In radios flammæ? resonant his vocibus aures,
Túne diu cœlo obsistes; pugnare Tonanti
Dure audes? noxísque Dei corrumpere dona?
Dona ab inexhaustis in te manantia riuis.
Quem donis non vincit amans, hunc vindice forsan
Supplicio vincet: pectúsque ærumna domabit,
Quod donum mollire nequit. Iam gutture presso
Spirasses animam, Turcæ iam tela cruorem
Fudissent; heu, iam duris cruciatibus actus
Æternùm gemeres, præda illætabilis Orci,
Hactenus obtundo pœnas, atque arceo fulmen
Accensum, & precibus supplex exarmo Tonantem.
Nam tibi sum lectus custos, & munera cœli
In te ego derivo, primóque à limine vitæ
Ferro illibatum sub tanta pericula servo.
Nunc precibus meta est; vltra nunc vota repulsam
Non audita ferent, si nunc resipiscere temnis.
At si me Numénque audis, fideíque relictæ
Portum intras; crines patrio diademate cinges,
Vis nulla excutiet sceptrum, longúmque per æuum
Epirum implebis palmis, & nomine terras.
Dixit, & illustris se miscuit æthere forma.

XVI.

Regis conuersio.

HIs dictis mutati animi, deformia menti
Delicta apparent, immanes monstra figuras
Obiiciunt, fœdísque horrent squallentia spectris.

Meme

Meme ipse obstupui, lachrymísque per ora volutis,
O Deus, ô bonitas, dixi, nec limite clausa,
Nec lassata malis, grauibúsque nec obruta culpis:
Pœnitet, ha liceat transacta retexere vitæ
Tempora, & à teneris iterum pubescere cunis,
Quæ me blanditiæ, quis me diuellere terror
Numine, quæ posset mentem emollire voluptas?
Excipe me: nec regna peto, sceptrúmve paternum,
Te peto, & immensum qui me modò vincit amorem.
Interea verus Turcarum agitare cohortes
Hunniades, actas dispellere campo:
Victrices fugiunt, planéque in terga solutæ,
Me frustra implorant. Ego summis viribus auctus
Consilium (Deus insinuat) mentémque capesso
Audacem, & subitis pectus conatibus apto.
Barbarico in cultu, qualem sibi Turcia fingit,
Corbutum inscendo, gemmámque è pisce receptam,
Prodigij memor, alipedis citus insero fræno,
Æmathiámque peto. Pernix secat vngula campos,
Decrescunt terræ: spatium quod lumina signant,
Quadrupedis pede iam teritur: non ocyor alis
Pegasus, aut aquilæ properantis in æthere penna.
Tertia iámque dies signabat vespere terras,
Cùm Croiam aduento. Nec vos quæ deinde sequuta
Vlla latent: patris solium quáve arte recepi,
Quóve animo tuitus, fraudes virésque refregi.
Et nunc imperij quintus mihi labitur annus,
Cùm perit infractus Turcæ furor. Et modò frustra,
Spero equidem, ruet impactus, cùm vestra iuuabunt
Auxilia & Veneta Æmathij sibi fœdera iungent.
Heros conticuit. Stupet ad miracula fortis
Vendraminus, Iuuenésque ardent in bella vocari.

XVII.

Bragadinus belli Cupidus.

ARdet Bragadinus, veteris quem stirpis origo
Nobilitat, pluresque satæ super æquora palmæ:

Et

Et quanquàm roseis adolescat floridus annis,
Nuper & Isbellam grato sibi fœdere lecti
Iunxerit; Isbellam quæ formosissima vincat
Vna nurus Venetas; & amet sociatus amantem;
Tantus laudis amor, flagrat ire in Martia castra,
Mollitiémque tori, duro immutare labore.
Et miles iam promptus adest; legit ipse Phalangem
Albanus, spernit numerum turbámque molestam;
Nam virtus nescit numerum, turbámque recusat.

XVIII.

Arma Regis.

ET Regi dudum Patres fabricante Merimno
Arma parant, olim fidi monumenta Senatus.
Artificem totum haurit opus; fornace liquatus
Vndat ab igne chalybs, ipsúmque exsuscitat ignem;
Incudi superimpositum creberrima tundunt
Brachia, & in varias aptant repetita figuras.
Vrget opus simul incumbens, operásque Merimnus
Dirigit, & doctam chalybi contemperat artem.
Exoritur capitis tegmen; crystalla nitere
Dixeris, aut nitido specularia limpida vitro;
Aurum oras cristámque ornat, rostróque leonis
Pingitur; ora feræ anterius de casside vibrant;
Circumdat galeam regnantum insigne corona.
Loricam hinc latam effingit, stipátque metallum,
Nusquam oneri parcens, gnarus cui pondera tanta
Fabricet, & molem quantus suffulciat Atlas:
Læuia terga nitent; pectus squallente Medusa
Erigitur, torvâ impliciti stant fronte colubri.
Tum clypeum ingentem curâ formante rotundat,
Quem Morti obiiciat? Quem non hostilia tela,
Non penetret Libitina furens: orbe aureus vmbo
Prominet, effusis scintillat ab ignibus æther;
Circùm oras implet doctus labor: vrbis origo,
Incrementa, triumphorum monumenta, triremes
Lauro insignitæ, & terrâ victricia signa,

Insulæ, & Oceanus lato de margine lucent;
Area Dalmatico fulget satiata metallo,
Prætendítque Crucem; Crux ingens tramite ducta
Purpureo, rutilo circùm resplendet ab auro;
Hinc Erebo metus, atque Orci calcata potestas.
Hastile incumbit clypeo; formaverat hastam
Fraxinus, annosa exsectis ramalibus arbor;
Desinit in teretem ligni pars altera conum,
Sed chalybe armatur; procul eminet aspera cuspis;
Altera pars totâ se firmat in arbore, trunco
Nec spoliata gravi, nec pondere demutata.
Inde Damascenis cusum fornacibus ensem
Deligit, & capulo delectum accommodat aureo;
Intexítque operi mortalia sydera gemmas.

XIX.

Novus Ensis.

Qvamquam alium Heroï gladium Godofredus ita
Comparat, & Numen supplex hac voce precatur.
O Deus armipotens, bellorum ô providus auctor,
Palmarúmque sator; per quem Solymæa parabam
Imperia, & gladium Saraceno sanguine mersum
Templo appendebam, & Superis anathema sacrabam.
Nunc gladius terrâ infossus rubigine cæca
Conteritur, rodit mucronem, aciémque retundit,
Jacturam hanc patior, quoties civilibus armis
Christiadæ pugnas & bella nefaria miscent.
At modò, cùm dignus ferro progignitur Heros,
Hostémque Alcorani retulere hæc sæcula tandem
Albanum; Turcæqúe parans spolia ampla domandi;
Quid situs & squallor tristi caligine ferrum
Inficiunt? quantos acies hæc sterneret hostes?
Redde virum ferro, sed ferrum ingentibus ausis
Dignum redde viro; da rursum in prælia sancta
Miscear; idqúe mihi, si non licet, impetret Ensis.
Annuit Omnipotens. Sublimi exscendit Olympo
Aliger, & Somne quà se diffundit in ædes;

(Heu Solyme dispar nimium , cùm turribus altis
Crux fulgebat ovans , Christi venerabile signum,
Impia barbaricis splendet nunc Luna trophæis ;)
Effodit é terræ latebris scabrum Aliger ensem ,
Detergétque situm , squallorémque excutit atrum ;
Mucro nitet , splendétque acies , pérque aëra lumen
Funditur , & Lunæ pallet metuentis imago.
Extemplò ad Venetam cœlestis penniger Vrbem
Advolat , & Regi sopito somnia fingit.
Bullonij formam indutus , clarúsque beato
Lumine , splendentem Heroi dat splendidus ensem ,
Munúsque illustrat verbis ; pòst membra solutus
Ætherea , apponit Venetis nova dona sub armis.

X X.

Donata Arma, & Ensis novus.

IAmqúe iubar cœlo exoriens lucebat Eoo ,
Cynthiáque occiduos fugiens properabat ad Indos :
Albanus somnum inquirit , gladiúmque revolvens ,
Vana soporiferæ noctis ludibria credit ,
Nec se Astris tanti esse putat. Sed gaudia mentem
Totam implent , quando illa dies tandem aurea surgit ,
Qua petat Æmathiam, facilíque renaviget vndâ.
Limina Vendraminus , Patrum stipante caterva ,
Ampla subit ; Venetam Regem mox ducit in Aulam ,
Picta auro exornant instrata tapetia mensam ,
Arma super radiant oculis. Dux paucâ loquutus ,
Addidit hæc. Cape Rex nostri leve pignus amoris ,
Non equidem id dignum , tantis virtutibus impar ,
At decet ; & quantum est , id amantia pectora donant.
Ite per hostiles felicia tela Phalanges ,
Ite arma , & magnum Turcis defendite Regem ;
Ni vos ille tegat , servétque intacta tot inter
Spicula , & hostili victricia sanguine pingat.
Dixit ; & ad clypeum dextram movet ; at stupor ingens
Occupat attonitum ; respectans hæret in Ense ,
Donúmque ignorat. Rex ad miracula doni

Obstupuit, somnique memor, noua gaudia carpit.
Sic quem pauperies dudum importuna premebat;
Speratísque diu gemmarum & diuitis auri
Lusit imaginibus gratus sopor; optima tandem
Si fortuna tulit gasas, aurumque retexit;
Ardet percipere, & veracia somnia laudat.
Rex ferrum rapit exultans, aciémque tremendam
Exerit, & subito splendore illuminat auras.
Munus ait, Superi agnosco; sanctissime Regum
Ipse dabas, nec spem somnus delusit inanis;
Nec mihi si regnum Solymæáque sceptra dedisses,
Gratior, aut nexu meriti maiore teneres.
Quod superest, da digna tuo sit munere dextra,
Vires adde pares, nec te desideret ensis
Præbitus, aut veteres perdat novus vsus honores.
Ensis ades, cœli pignus, bellíque magister;
Tu mihi Taumasius, mihi tu mirabilis, aurâ
Dum fruar ætherea, dextrámque in bella mouebo.
Somnia dein narrat. Patres cœlestia visa
Mirantur, gladióque hærent, tractántque stupentes,
Sed non ille manum patitur, sub pondere vires
Deficiunt, ampláque cadunt sub mole lacerti,

XXI.

Isbella lacryma.

Ecce vocant Austri, feruent iam remige transtra,
Miléſque impositus voto iam navigat æquor.
Bragadinus dux vnus abest; re sponsa moratur
Isbella, & teneris à ponto amplexibus arcet.
Vt famâ accepit, delectum in bella maritum,
Atque ducem dictum auxiliis, effusa capillos,
Vultum incomposita, ínque genas manatibus vndis
Præsentem sic compellat; suspiria volvit
Iuxta blandus Amor, faculæqúe euentilat ignem.
Veráne te sæuo rursum succedere bello
Fama tulit? ferit an verbis mendacibus aures!
Credo equidem, non vera tulit: nec sponsus amantem

Spernat

Spernat amans: vidua ut vivo te conjuge linquar,
Vrit enim me quantus amor, tibi conscia mens est:
Et cùm te reliquis, turba lassante procorum,
Anteculi, & lentos egi in mea vota parentes:
Nec piget, atque eadem, si res foret integra, starem.
Et postquam in thalamos intraui nupta iugales,
Dilexíne minus? num tu mea sola voluptas?
Quin ipse ardentem, nisi amor me cæcat, amasti,
Nec primos thalami, aut in me permissa potestas,
Extinxere rogos. Quis te novus abripit error?
Forsan displicui? forsan defloruit oris
Forma prior, rugâ frontem sulcante senili?
Sed nec displicui, nec formæ effluxit imago:
Súmque eadem quam nuper amas: ni gloria Martis
Te rapit: ha decoris quantùm laudísque tulisti!
Et memini: cùm noster amor noua bella timeret;
Iurabas: satis est belli, satis estqúe pericli,
Et satis est laudis: mea tu charissimâ coniux
Militia es: tu palmâ mihi, tu maximâ laus es.
Iurabas hæc per Superos, & numen Olympi.
Plura dolor prohibet rumpunt suspiria vocem,
Effusæqúe genis lacrymæ. Nec pulcra dolentis
Ora minus, nec amor madidis minus hæret ocellis.

XXII.

Bragadini constantia.

Blanditur conjux timidæ, & mendacia famæ
Excusat, studiúmque alto sub pectore condit:
Clam parat ornatum intereà. Quis fallat amantem?
Consilium Isbellæ patuit. Iam luxit ituro
Certa dies; iam vela vocant remósque lacessunt:
Nec latet Isbellam. Qualis torquata columba,
Nidum enixa recens, pullósque tepentibus alis
Blanda fouens: si prædonem sub turribus altis
Senserit, & dextram in nidum spectauerit actam;
Iram inter rapitur gemitúmque: atque indigâ fellis,
Iram acuit, raucúmque gemens questu aëra complet.

Quàm velit Isbella irasci; quàm sæva tonaret
Verba furor! sed Bragadinus tela omnia frangit;
Irámque arcet amor; sed non vetat ille querelas.
Túne, ait, hic miseram linquis? vix solverat ora,
Liquitur, & thalamo pallentia membra reclinat.
Discurrunt famulæ, & lymphas & pocula gestant.
Bragadinus quid agat? penetrat sub viscera coniux,
Instaurátque ignem miseratio; doctus in aurem,
Inqúe animum pallor subit, & nova dicta reponit,
Túne, ait, hic miseram linquis? tu mortis & auræ
Æthereæ dubiam? tu iam in confinia leti
Præcipitem? solvésne animæ luctantia vincla?
Pugnantémque labris animum de corpore mittes?
Crudelis, dignúsque ferâ de tygride nasci.
An tanti bellum est? peritura an laurea tanti?
Volventem hæc compellat Honor, iuratáque dextra
CASTRIOTO, & Laudes ingens in nomen ituræ.
Et qualis bellator equvs, quem pinguia pratis
Otia paverunt, & amor corrupit equarum;
Si tuba terribilem sonitum dedit ære canoro
Exultat, sonitúmque altis cervicibus haurit,
Immemor armenti, pascentis & immemor herbæ.
Non aliter Venetus sublimi pectore, bello
Insurgit, flammásque novas sub corde volutat.
Vt videt Isbellæ revocari in sanguine turbam
Spirituvm, mortémque procul, certámque salutem;
Nutrici charam Marinæ commendat alumnam,
Et fugit; ha, gnarus quanto se robore firment
Blanditiæ, quæ formosi sint fulmina vultus.

XXIV.

Rex navigat.

NEc mora SCENDERES deduci littore puppes
Imperat, & remis velísque per æquora ferri.
Portum implent Veneti, Patres stant veste nitentes
Purpureâ; natos matrum pia turba salutat.
Inflant vela noti, tonsis dant brachia nautæ,

Volvuntur

Volvuntur fluctus, rostrisque ruentibus æquor
Finditur, & remis canent pulsantibus vndæ.
Iámque altum tenuere rates; corbita fluentem
Lembum summa videt, celerísque volare carina:
Iam classi aduehitur, puppi iam Ductor ab alta
Eminet, & Regi fatur se nuntia ferre.
Rex iussum admitti, Cassandrum agnoscit, & vlnis
Amplexum, quæ Spitigradæ sint fata reposcit.
Cassander salvam affirmat; sed flagitat vni
Pandere quæ referat, mistámque facessere turbam.
In puppis conclave subit genibúsque volutus,
Sic lacrymans. Piget infaustis incurrere in aures
Vocibus, & miseram Regi producere cladem;
Spitigrada heu periit; vi captam immaniter hostes
Diripuere, rogis periere voracibus ædes:
Et nunc Croiæ instant; validáque indagine claudunt.
CASTRIOTVS dicit misero solantia verba,
Et iubet effuso sermone expromere captam
Spitigradam, sortémque vrbis, seriémque ruinæ.

Finis Libri secundi.

LIBER



LIBER TERTIVS.

ARGVMENTVM.

CROIAM ſervat, Dracute cæſo,
SCANDERBEGVS

SCANDER

SCANDERBEGI
LIBER TERTIVS.

I.

Amuratis castra.

INTEREA molem ingentem victriciáque arma
Ducit Amures, circùm vndque mœnia Croiæ
Involvens. Pressi tremuere phalangibus agri,
Ingemuere ædes : vastatáque fertilis arvi
Planities, truncíque alta de stirpe recisi,
Et Vestæ spoliatus honor, luxere cruenta
Hospitia, & diros vsus, Dominosque recentes.
Designat loca Sarchanus, quæ cuique phalangi
Sit statio, muri partem quam quisque revellat.
Quà latè funduntur agri, tentoria fulgent :
Immensæ valles Cereris, colléſque tumentes
Vitibus & spissæ ramis viridantibus orni.
Enatas momento ædes aut cœilitus vrbem
Dixeris emissam : surgens orientia Titan
Tecta stupet, stupet arctatus sub pellibus æther.
Non aliter stipantur Apes, quas nobile pellit
Exilium, sedísque novæ iuvenilibus ardens
Gloria pectoribus ; ducenda colonia mellis :
Illæ implent quercum ingentem, truncóque refusæ
Condunt ore fauos, & pinguia glutina nectunt.

II.

II.

Castrorum diuisio

QVà Croia ad tepidos munimina surrigit Austros,
Figit Cantemirus; stipat tentoria miles
Tartarus, è Tanaï ductus Scythicáque palude,
Pellibus assuetus, plaustrísque, & frigore duro.
Chatites, quà Solis equi se montibus abdunt,
Præcipitántque diem, latè arva patentia texit;
Cappadocem Carúmque trahens, Asiámque minorem,
Bithynósque viros, fusúmque sub æquore Pontum.
Longius hic distat muris; interfluit amnis
Lisanus, & rapidis vrbem tegit invius vndis.
Ab Boream, rupes ingens telluris ab imæ
Visceribus surgit, turritáque culmina adæquat;
Munimen solidum, quod machina nulla, nec ignes
Emoveant, Turcæqúe minas irásque refringat.
Sabatius iuxta insedit, qui mollior olim
Semivir, Eunuchos inter turbámque pudendam;
Mox bellis animum indurans, nunc nobilis armis,
Laurísque insignis, fortunæ opprobria vertit
In decus, & pulchris delet iuvenilia canis.
Ille Syros, Arabásque, & quondam illustria palmis
Arva Palæstinæ; & quà se diffundit ab Arcto
Euphrates; sub signa rapit, nutúque coërcet.
At cùm Solis equi primis cœlum ignibus afflant,
Importántque diem terris, lucémque recludunt;
Fulgida castra patent Amuratis; longa per agros
Velorum series valles collésque recondit.
Et splendor, textúmque nitens variíque colores,
Spectantem Titana decent; aurata coronant
Poma apicem, vibrántque suos specularia soles.
Eminet in multis Tyrio de murice tinctus
Papilio, lato vestit quem textilis auro
Tænia, & immenso premit auri pondere sphæra:
Hic Dominum tegit, hoc tutus vallante Tyrannus

Milite,

Milite, consilia atque iras & bella revolvit.
Nec procul haud dispar Machometum tegmen adumbrat;
Græcorum heu pestem Machometum, & funus acerbum;
Exambita diu nunc primùm in bella ruentem.
Circùm adsunt gelidum durati ad Strymona Thraces,
Et quos Europe septemplice misit ab Istro,
Flos Martis, bellíque tremor. Quin vna phalanges
Exsuperas reliquas, multis de gentibus vna;
Heu quam Christiadæ miseranda sorte Tyranno
Sufficiunt, proprióque parant sibi funera ferro;
Inde Ianisseros nostro de sanguine prædo
Publicus instituit, robur columénque perenne
Imperij; statuunt ter millia dena phalangem.
Par lectus Ductor, membrorum mole Dracures
Penè gigas, animísque æquans immania membra;
Bulgariâ hic raptus nuper, tenerísque sub annis
Alcorano Martíque datus, pugnísque patratis
Insignis; dignúsque vnus quem Turcica castra
Albano obiicerent; vnum te Albane fremebat.

III.

Dæmones in Castris.

ISta patent oculis; sed non patuere cohortes
Tartareæ, passímque super tentoria fusæ.
Coccineus quà fulget apex, Solémque reflectit
Tegmen Amuratis; pomo sedet horridus aureo
Astartes, flammis puras latè inquinat auras,
Et virus totum inspirat. Spiraverat olim
Alcoranum diro Machometo, atque alite magna
Mutatus dogma infandum dictabat in aurem.
Huic inde Alcorani tutela, & iussa foveri
Impietas, feriésque mali, cladísque propago.
Sparguntur socij per castra, animósque furore
Inflammant tacito, scelerúmque libidine pungunt
Cuique suus præda est miles. Sic funebre corvi
Agmen, vbi patulis in fœda cadavera rostris
Effudêre famem; caput intra viscera condunt,

Vnguibus

Vnguibus eripiunt artus: tabum inficit alas,
Et nigredo rubet, perit esca sub ore voraci.

IV.

Tormena in muros.

NEc moram Amurates patitur, longíve capessit
Lentum Martis opus: vastæ placet impetus iræ,
Mœnia difflare, & latâ vim ferre ruinâ;
Atque hosti dum sensus adest, igémque necémque
Conficere, & toto vindictam implere cruore.
Expromi tormenta iubet, quæ fuderat ære
Ingenti Tarchon: fidei desertor, opúmque
Jncensus studio; patrio fugitivus ab Albi,
Pravam artem tulerat Turcis, Vulcaniáque arma.
Nec dum bellantem vulgata hæc tela per orbem,
Sed rara; & paucis quos Rex dilexerat Orci
Comperta; heu terras citò pervasura nocentes
Extemplò Tarchon Asapos, (hi vilia bellis
Sunt capita, & primum satiantia funere martem
Exportare iubet valles, & ponere montes.
Bis gemini exsurgunt tumuli latísque patescunt
Aggeribus: crescunt moles, & subdita Croiæ
Mœnia despectant. Sic Oetam addebat Olympo
Enceladus, Superísque minax scandebat in Astra.

V.

Tormenta explosa.

ET iam belligerum vehitur super æthera fulmen,
Et molem proculcat onus; curru eminet alto
Machina, & in muros ora eructantia solvit.
Erumpit globus horrificus, flammámque vehentem
Secum infert, vrítque auras, & nubila torret.
Miratur Boreas, cudat quæ fulmina Vesta,
Quæve alæ telum intulerint, victósque fatetur
Séque Iouémque; globis tantùm est pernicibus iræ.

Mœnia

Mœnia quaſſantur, pinnarum immobilis ordo
Excutitur; muri ſeries iam mole fatiſcit.
Crebra vomunt flammas repetitis fulmina telis,
Inſtaurántque rogos: Tarchon ardentibus inſtat
Ignibus, & ſubitas prono bibit ore favillas.
Sæpe & Amurates molem conſcendit, & æra
Dirigit, & nitrum infarcit, telúmque propinat.
Aſtartis quin ſæua cohors, quanquam abdita, præſta
Dira miniſteria, & magnos famulatur in ictus.
Ille acuit flammas, Phlegetonte hic ſulfura defert,
Ille tubo ſphæram expellit; vehit iſte per auras;
Curſúmque accelerat, toto ſimul impete murum
Ille quatit; telum anteit hic, ſaxúmque revellit,
Circùm caſtra tonant, reſonant mugitibus antra.
Non aliter prægnans Orco Veſuvius ignes
Cùm parit; in Superos Saxorum effunditur imber,
Sulphureo natat amne ſolum, flammíſque rotantur
Viſcera fulmineis, tonitrúque revellitur æther;
Parthenope concuſſa tremit; tremit obruta fluctu
Ipſa procul Prochyte; nec ſe radicibus altis
Veſta tenet timuítque orbi, rerúmque Parenti.

VI.

Irene bellum parat.

SEd non Croia timet; muris immota ſolutis
Pectora ſtant; fortis ponit ſua mœnia Virtus.
Zunites, haudquaquam animos tardante ſenectâ,
Per lucem tenebráſque vigil, ſimul omnia luſtrat,
Munimenta parat, foſſam vallúmque ruinæ
Obiicit, & vulnus curat quà machina ſævit:
Incubuere viri comites, & grandior ætas.
Tota ſed Irenen ſequitur robuſta iuventus:
Nec ducis eſt puditum: nec Virginis arma præire
Dedecus eſt: tanti eſt formoſo in corpore virtus.
Illa vt Amuratis circùm fremere horrida caſtra
Inſpexit, bellíque minas, pondúſque pericli,
Quamquam inter teneros luſus, dulcéſque parentis

Baluditias

Blanditias crevit; nec martia noverit arma;
Vnum arcum solita, & celeres tractare sagittas,
Venatrix, timidásque audens configere damas;
Nunc corde in flammas ardente, & pectore totos
Exspirante rogos; Catarin sic fatur amicam.
O mihi præ comitum reliquis charissima virgo;
Quæ mecum lacte epota es, cunabula mecum
Nacta eadem, studióque mihi non dispare iuncta;
An Deus est, quod mens agitat? cœlestia credo
Consilia, & pulchram spirant mihi Numina mentem:
Conclavis thalamíque pudet; cùm Croia laborat,
Cùm furor ad portas, hostísque emissus Auerno
Imminet, ac sponsus patriâ procul invia lustrat,
Auxilia implorans: thalamis ego condita, tuta
Otia & imbelles tractabo ingloria curas?
Præstat sub tela, & leti discrimem honesti
Versari, & si fata velint occumbere præstat.

VII.

Irenes ornatus.

SIc ait: ornatúmque parat. Mox cyclada vestit
Cæruleam, Lembus circum quam textilis ambit
Aureus, & fuluis distingvit bractea punctis:
Lambit summa genu: fulgenti Sura cothurno
Clauditur, & niveis nectuntur vincula plantis.
In nodum intortos cassis premit aurea crines;
Nec tamen ora tegit: frontis lux splendet eburnæ,
Purpureásque genas, inqúe oculis radiantibus Astra;
Quin & Amor crines galeæ subnectit, & auris
Explicat, & rete involvit, cirrósque coërcet:
Lætus apex galeam plumis albentibus vmbrat:
Balteus aurato dependet in ilia texto,
Incingítque humeros: pharetra prægnante sagittæ
Densantur; splendéntque alis, & funera condunt.
Arcum læva gerit: buxus connectitur auro,
Incendítque nivem digitorum, atque invida pallet.
Spartæ casta Venus, sic in fera prælia surgit

Vnguenta

Vnguenta ablegans speculúmque, & linea membris
Mollia: demiratur Amor, matrémque requirit.
Vt visa Irene, Iuvenum simul emicat ardor:
Arma parant, & quæ mox aggredientibus obstent
Expediunt, nec iam vallo murisve tenentur.
Vnus Cymodoon hæret defixus, & ignes
Explorat tacitos, gemitúqne incusat amorem.

VIII.

Amuratis oratio.

EXcussi interea muri tonitrúque soluta
Compago: patuit labes, vrbémque retexit.
Humida iámque orbem nox circumvolverat vmbris,
Arcessítque Duces Amuratus, & ora resolvit.
In promptu palma est; deiecit machina muros,
Vrbs patet, & fossas latæ æquavêre ruinæ.
Nec plures palma vna vocat: manet ista Dracutem.
Cùm vos Hesperia, Apenninus, & impia Roma
Accipient, Dominámque colent Capitolia Lunam:
Cùm pavor æquatas cœlo tremefecerit Alpes,
Tunc palmas metite, & virides decerpite lauros.
Nunc Croia euersis ruat in fundamina muris:
Quæqúe nocet Tellus, largum bibat ima cruorem
Dixit: iámque ardet murum expugnare Dracutes,
Delectásque parat numeroso è milite turmas.
Tandem prima dies reserato affulget Olympo,
Syderáque in Pontum prono labentia cursu
Præcipitant, auríque faces sub fluctibus abdunt.
Iámque Duces auidi, promptæqúe stetere phalanges.

IX.

Dracutes quis.

ORdinibus primis supereminet ipse Dracutes,
Quantum inter salices tollit sublime cacumen
Fraxinus, aut quantùm despectas Caucase montes

Ponderis

Ponderis immensi chalybem formante camino
Loricam galeámque ferunt immania dorsa,
Et caput; & vires superant. Læua horrida peltam
Gestat Amasonidem, scutum clypeúmque repellit:
Clauam dextra gerit; præduro è robore moles
Prodiit, & tota fabrefacta est arbore claua;
Circùm ingens ferro induitur; nec forma rotunda est,
Sed quadrata riget; cuspis protenditur ingens
Ad latera, & truncum totidem mucronibus armat.
Hæc telum pilum & gladium volucrésques sagittas
Sufficit, heu quoties hostili in sanguine mersa!
Pugna in procinctu est; sed dum ferus agmina lustrat,
Aduertit Satrapas mutato incedere cultu,
Miscerique gregi, & pugnæ decerpere partem:
Cantamirum agnoscit, Chatirem, & depile mentum
Sabarij, fortémque Halium, iuvenémque Sarazum:
Et Machometus adest tectus vulgaribus armis,
Furatus sese genitori; at nobile furtum
Laudis amor, latebrásque suas nunc Gloria quærit.
Bulgarus indignans frendet. Prædonibus, inquit,
An mea laus, & honor, concessáque præda patebunt!
Isne ego, qui sociis egeam? fortè hæc mea dextra
Accersat comites? Quisquis mea tela iuvabit,
Hostis erit: mihi Croianus vel Turca perinde est.
Sic fatus, totum in Satrapas se verrit, & æstum
Irarum solvit: ciuiliáque arma mouentur.
Arcet Amurates: Satrapæque abscedere iussi.

X.

Illata impressio.

INsonuere tubæ, pulsatáque tympana lectas
Ire iubent turmas, muríque inscendere labem.
Telorum extemplò contexitur æthere nubes,
Inqúe vrbem effundit sese: crepat horrida ferro
Grando sagittarum, & mortem simul inuehit alis.
Sed nec Croianis lenta est manus: arcubus instant,
Spiculáque immittunt: murum ampla caterva coronat,

Nervósque

Neruósque ingeminant, repetitáque cornua iungunt.
Sub telis Asapi, numerosi in funera, leto
Procumbunt vili, sternúntque cadavere Pontem.
Sic cùm tristis hyems Autumno impendet adulto,
Et languet telluris honor: si frigidus Arcto
Prorumpit Boreas terrásque invadit apertas;
Excussæ arboribus frondes, ramísque solutæ,
Vestam implent, reddúntque piæ sua funera matri.
Iámque Ianisseros tela inter Martius ardor
Promovet; in muri labem iamjam agmina scandunt.

XI.

Dracutes murum conscendit.

Accelerat, geminátque gradum, peltámque Dracutes
Erigit; in peltam incassum pluit horridus imber.
Vt primum cliuo subiit, muríque ruentis
Trivit saxa ferox; Euge inquit, iam pede victos
Calcamus, miserámque premunt vestigia Croiam;
Iam nos præda manet; pudet ha! quod transfuga muris
SCADERBEGVS abest, nec dignum hic obiicit hostem.
Ista fremens scandit. Sequitur non gressibus æquis
Ibranus; fratrem hunc dederat Tyriana Dracuti
Mater, & ad similes rapuit fortuna labores;
Nec dispar animus; licet arcto in corpore vires
Sint modicæ, & primis nuper pubescat in annis.
Tum Murtaza audax, Turgutus, & impius Aster
In Superos; miles properat, stipátque phalangem.

XII.

Turcæ repulsi.

Nec muris cessatum altis. Frémit aggere Croia,
Ciuísque & miles nullo discrimine pugnant.
Illi inflammatas vastis lebetibus vndas
Diffundunt, lympháque armant, elementáque iungunt.
Hi rapiunt mutatam igni, flammæqúe rapacem

Pallada, & ignitos eructant mœnibus imbres;
Incensus liquor arma subit, pérque obsita ferro
Corpora prorepit, funditque sub artubus ignes.
At non telum vllum, nec pestis acerbior vlla,
Hac quam Zunites ignotâ immiscuit arte.
Materiam legit igniferam; sunt sulphura lecta,
Camphora, & asphaltum, rapiénsque incendia naphte;
Vitalem simul indit aquam; Bacchi illa calentis
Spiritus, & Bromij rapidum decocta furorem,
Vulcanum abscondit fluctu, larváque fluenti.
Non haustus de fonte liquor, non Spumeus amnis,
Nec totam æquoribus vertens se prodiga Thetis,
Extinguant subitos ignes, flammámque voracem.
Zunitem circum fervet globus: imbribus æther
Sulphureis splendet, mortémque in luce volutat.

XIII.

Ignes Græci

CAllicles primus medicata incendia vibrat;
Corripit Asterem fornax, hærétque nitenti
Thorace, & pingui ferrum caligine torret.
Continuò tacitæ penetrant sub pectora flammæ,
Pérque ipsum chalibis textum, ferríque medullas
Vulcanum immittunt, iámque intima viscera tentant.
Ad monstrum, subitósque rogos exhorruit Aster,
Et dextra ferro armata simul excutit ignes,
At dextram rapuere rogi, fusíque lacertum
Invadunt, miseróque avidi se corpore pascunt.
Vt videt ardentes artus, membrísque caminum
Incendi, pinguésque focos in viscera condi;
Aster terribilis quatiens vlulatibus auras,
Lymphato excurrit similis, si forte furentem
Disjiciat pestem; motu illa tenacior ardet,
Increscitque notis, flammantia diripit arma,
At furit in vestes pestis diffusa per artus.
Quod superest in stagna ruit, fossámque patentem;
Si flammam extinguant vndæ, potæque favillas

Conficiant,

Conficiant, ignésque necet moriturus in vndis.
Sed neque naufragio flammam premit; illa fluentis
Incrementa rapit, fluctúque atrocior vrit.
Quin stagnum rogus arripuit, Nymphæque flagrantem
Persensere luem; frigúsque in fontibus vstum est.
Tùm demùm in Superos Aster, summúmque Tonantem
Execranda vomit; flammas vndásque lacessit;
Quódque super vitæ est, horrenda in crimina donat,
Indulgens morti rabiem, dirúmque furorem;
Donec inexhaustus sceleri, geminantibus vndis
Funera partitur; letum, vitámque scelestam
Fluctibus & flammis tradit; fugit illa sub Orcum.
Et socios flammæ involvunt; contagia latè
Sparguntur; nocet auxilio iuvisse cadentes.
Ergo omnis trepidare cohors: huc ferre solutam
Atque illuc aciem; si quà ignis flammula vibrat
Diffugere, & timidis nimium comparcere telis.

XIV.

Dracutes ab ignibus tectus.

VNus in Ætnæam fornacem impunè Dracutes
Proruit, & pavidos forti sic increpat ore.
Quid fugitis miseri? telorum, animíque prioris
Immemores? tanti est vanis incurrere flammis?
At fugiunt illæ impavidos, timidósque sequuntur.
Respicite, & mecum vestigia vertite, cedent
Vanescéntque rogi. Quin mox incendia nostra
Inferimus, versísque rogis evertimus vrbem?
Sic ait; inque vnum collimant ignea tela,
Croianísque vnus scopus est. Vocat ecce maniplum
Tartareum Astartes, tædísque voracibus obstat;
Bellantem tegit orbe cauo, quem fuderat igni
Horrendo Cyclops Stygius, domitúmque palude
Cocyti, in flammas humanáque tela ferebat
Libavere rogi clypeum; simul excidit omnis
Impetus, & vanas flammæ crepuere sub auras.
Æthere & infusi comites incendia difflant,

Restinguntque focos; quanquàm cruciantibus intus
Vruntur, flammásque suas in secula pascunt.
Instaurati animi; rursum omnis turba Dracutem
Consequitur, telísque vrget, properátque subire.

XV.

Saxa in Turcas provoluta.

CRoiani noua tela parant, ingentia muris
Provolvunt saxa, & moles super agmina fundunt,
Ædibus euulsum marmor, pariásque columnas
Porticibus raptas, tumulorum immania claustra,
Atriáque evolvunt; hostes patuere ruinæ,
Traxítque immensum protrita cadauera pondus.
Adstabat rupes; divulsum culmen Olympo
Dixeris, aut ruptum Tauri de vertice fragmen;
Exturbare loco aggressi, propellere muro
Cymodoon Caunúsque ardent, sævúmque Dracutem
Sternere, & imposito rabiem contundere monte
En rupes avulsa ruit, clivóque ruinam
Præcipitat; vasto sonitu circùm tonat æther.
Exclamant Turcæ; nec enim impendentia fata
Effugiant; tanta est moles, sic impete fertur.
At contra audaci tendit vestigia gressu
Bulgarus, & montem monti componere tentat;
In rupem scutum opponit, totóque resistit
Corpore, & in molem ferrato pectore pugnat.
Mirum, seu vires hominis, seu robur Averni,
Astartésque latens; hærere immobile saxum
Visitur, ingenti gemuit sub pondere terra.
Exclamant iterum Turcæ, plausúque sonanti
Increpitant, lætásque vehunt ad sydera voces.

XVI.

Dracutes victor, murum inscendit.

IS Turcis postremus obex; per saxa Dracutes
Emicat, Croiam sublimis ab aggere spectat.
Stant propius comites, Ibranus, & integra pubes
Militum, & obiecto latam implent pectore labem.
Bulgarus insultat verbis. Tandem irrita claustra
Fregimus; en lepores inuenta cubilia monstrant,
Nunc opus est ferro; nec vos vel saxa vel ignes
Morte tegent; opus est ferrum contendere ferro.
Hæc vbi dicta; ruit præceps. Fugite obuia turba,
Heu miseri, & clauæ properantia tollite fata.
Callicles tamen it primus, crispátque sarissam,
Et quà barbarico moles se pectore pandit,
Ictum infert, potuítque gradum tardare ruentis;
Illam ictus frangit, sævum impulit ira Dracutem;
Tum clavam attollit, frustráque opponere tegmen
Conantem clypei, cæsum Calliclea sternit;
Per scutum galeámque imum scrutata cerebrum:
Claua rubet; tabum latè dispergitur albens.
Barbarus hinc furit in mediis, turbámque prementem
Disjicit, ingentes cumulátque sub arbore clades.

XVII.

Cauni vulnus.

NEc tenuit te Caune timor, teneræque iuventæ
Sanguine pubescens ætas, aut robur iniquum,
Quin ruere, & certæ auderes occurrere morti.
Impatiens laudum Iuvenis, cladísque patratæ,
Non hastas, non tela vibrat; sed proximus ense
Imminet, intentátque audax in vulnera ferrum.
Nec frustra; in peltam mucro primúmque lacertum
Mittitur, & Turcæ primo se sanguine tingit;
Gutta fluit, vestit peltæ se fragmine tellus.

Vt parmam infractam; nec enim leve vulnus ob iram
Senserat; in læva inspexit: felicibus, inquit,
Auguriis; quid scuto egeo? num me mea virtus
Vna teget? sed nec ferro mitteris ad vmbras
Tartareas; hæc te tua Laus & Gloria mactet.
Sic ait, & fragmen peltæ detorquet in ora.
Ærata ingemuit galea; ingentíque sub ictu
Caune ruis, crassúmque vomis patulo ore cruorem.

XVIII.

Dracutis amor.

STat procul Irene flavo spectabilis arcu,
Incendítque aciem; necdum torquere sagittam
Ausa, nec hostiles nervo turbare phalanges.
Vt vidit Caunum, & misero impendere Dracutem
Albani memor, arma movet; paucísque precatur
Aligerum comitem, certo sua dirigat ictu
Spicula, & immanem Iudita Holofernea sternat
Extemplò emissâ sonat actus arundine nervus;
Effugit hæc stridens, & quà galea ima Dracutis
Ora tegit, ferrum libat: mox impete casso
Excidit; ad tantum vulnus nimis impare dextrâ.
Nec tamen illa trucem latuit; circùm horrida volvit
Lumina, & inclusum fulmen de casside vibrat.
Ecce iterum telo appetitur, galeámque sagitta
Verberat, & chalybem sonitu percussit inani.
Tum fremere, & magnas irarum evolvere moles;
Irenen simul aspexit. Nervo illa sagittam
Aptabat, festina mori, ni vulnera ferret:
Quanquàm aliis vincet telis. Vt Barbarus hæsit
Virginis in vultu, speciémque improvidus hausit,
(Et pudor insolito suffuderat ora rubore)
Continuò bellum ponit, cæcúmque furorem;
Solvitur innatum frigus, ferrúmque liquescit
Pectoris, & subitæ penetrant in viscera flammæ;
In venas iam repit Amor. Ferit ecce stupentem
Tertia iam cornus, tenerum nec turbat amorem.
Quia ille armorum, Caunique, & laudis, & iræ

Immemor

Immemor, ingemuit. Quid me tua tela lacessunt?
Num satis est percelli oculis? depone sagittas,
Vicisti, ferit cor immedicabile vulnus.

XIX.

Cymodoon Saucius.

BArbarus hæc animo. Sed non hæsere phalanges
Christiadûm; telis gladiisque ferocibus vrgent.
Ille stat immotus, séque ipso hostilia pellens
Spicula, in adverso st upidus defigitur ore;
Inqúe oculos mens tota fluit. Tandem illa furorem
Suscitat, & primam rabiem confundit amori.
Virginis inspirat raptum malesuada voluptas,
Impurique ignes; ruit hic quò letifer ardor
Exagitat, pellitque furens spissa agmina ferro.
Non aliter stabulans altis sub montibus vrsus,
Quem somno glacialis hyems, pigróque veterno
Obruit, & cæco innocuum religavit in antro;
Venantum si turba ruit, ferróque iacentem
Vulnerat; abrumpens ignavi vincula somni
Terribilis surgit, venantúmque agmina frendens
Disjicit, egelidásque nives cum sanguine miscet.
Vnus Cymodoon, callens quid barbara volvant
Consilia, Irenæ metuens, (nam quæ abdita purus
Non evolvat amor?) Murtazan vulnere stratum
Deserit, & magnum properat contendere in hostem.
Dextera nec lenta est; verso ferit ense Dracutem;
Lævo humero iam vulnus hiat, chalybémque cruentat
Barbaricus sanguis, calidúsque in pectora manat.
Bulgarus infrendet, clavâque insurgit in ictum,
Quo saxa & cautes prædurâque marmora frangat.
Declinat Iuvenis, subitóque obnoxia leto
Membra rapit, séque ipse neci furatur apertæ.
Barbarus instat atrox; nec iam velocior ala
Profuerit, celerésve Euri sub membra refusi,
Quin claua excipiat Iuvenem, mittátque sub vmbras.
Tandem intercipitur; clavâ stringente patentes
Annectunt quà dorsum humeri; luxata repentè
Ossa gemunt, Iuvenisque miser procumbit in ora

XX.

Tempestas cœlitus immissa.

HÆc dum Turca patrat, muros dum stragibus opplet,
Christipara Empyreo Croiam spectabat Olympo;
Et casus fortémque gravem miserata, Georgum
Alloquitur. Vincunt hostes, promptæque ruinæ
Vrbs patet, vrbs commissa tibi; paterísque cohortes
Tartareas templis arísque incendia ferre
Tu quondam bello egregius; clarúsque triumphis
Quin agis, & tecum ventos dirásque procellas
Auxilio rapis, & cives vrbémque tueris?
Dixerat. Extemplò nimbos ventósque Georgus
Euocat, & sævis se tempestatibus armat.
Aëra contexunt tetrâ caligine nimbi,
Et fœdant lucem tenebris, noctémque profundam
Suffundunt iubari; simul ingens ossa sub ima
It pauor, & subito riguerunt frigore nervi.
Diuersi occasu surgunt, flatúsque furentes
Præcipitant, sævo miscens se turbine Caurus,
Grandineósque vehens imbres; & nubibus atris
Africus erumpens, & cæco fulmine prægnans
In Turcas sese excutiunt, rapidóque sonori
Mugitu, arma vetant, gressúmque; ínque ora recepti
Vitalem offocant auram & spiracula stipant.
Tum nimbi tela euolvunt; grando horrida nimbis
Funditur, & rapidis ventorum afflantibus alis
Ora ferit, tendítque oculos, saxísque globosis
Perfringit galeas, & tectos vulnerat artus.
Fulguribus coelum omne micat, fremuere tumultu
Nubila, fulmineo dirum eluctantia partu,
Intentántque necem horrendam, telúmque trisulcum.
His monstris Turcæ expulsi; déque aggere rapti
Plana terunt, telis campi clypeísque refulgent.

Vnus

XXI.

Dracutes tempestate pellitur

VNus in insana stat tempestate Dracutes,
Luctantésque premit ventos, lapidosáque frangit
Spicula nimborum, & reboantia fulmina ridet.
Ardentes Croiani instant; vestigia figit
Intrepidus, gressûqne hæret, claváque minatur.
Tum demum Cauri flamen subeunte Georgo,
Atque imbres armante polo, iam viribus impar
Pellitur, & muris amens abscedit ab altis:
Nec tamen obvertit terga, aut ruit impete raptus:
Sed sensim, & multo in ventos conamine luctans,
Execránsque Deum verbis, fulménque lacessens:
Debuerátque peti: nisi perfida victima fulmen
Albani maneat: dabit hoc sub vindice pœnas.
Quin & Amuratem deturbavere procellæ,
Et castris fecere metum: tentoria venti
Dejiciunt, fulcra abrumpunt, funésque resolvunt:
Derepta obscuro volitant holoserica cœlo,
Poma ruunt: lugent Astro vexilla bicorni
Orbata & sævi confundunt omnia Cauri.
Tum fœdi exundant imbres, campósque patentes
Exsuperant, noctémque augent, cæcúmque tumultum.
Gemmæ hærent cœno: lutulentum euolvitur aurum,
Fluctibus irrumpunt vndæ, gasásque latentes
Corripiunt, Regúmque opibus sua flumina ditant.
Hæc inter nox vera ruit, terrísque tenebras
Intulit, & lucem peplo subduxit ab astris.

XXII.

Mors Cymodoontis.

AT non Croiani molli indulsere sopori:
Invigilant, labémque implent, læsísque medentur.
Zunites quamquàm paucis sint integra plagæ

Corpora

Copora, deducit latam super aggere fossam,
Muníque interius labrum, vallúmque supernè,
Erigit; imbellis sexus puerique ministrant.
Irene invisit læsos, gratísque salutem
Comparat officiis, Operísque medentibus adstat.
Spem gaudet Cauno incolumem; sed nobilis angit
Cymodoon, quem fata vrgent; vomitóque cruore
Desperata salus: subeunt generosa iuventus,
Purpureíque ortus, postremæ & gloria pugnæ
Irenes animum; volat illa, & iam moriturum
Solatur, blando alloquio testata dolorem.
Ille, ardens quànquam depascitur intima febris,
Multóque arescunt exhaustæ sanguine venæ;
Flammam alit antiquam, primóque amburitur igne,
Quem teneris visâ Irene conceperat annis.
Tum flammæ increscunt, pressúsque incenditur ardor;
Nec cohibere rogum potis est. Da virgo precanti
Vnum inquit; quod mente premo, da pandere possim.
Annuit hæc. Iuvenis postquam respexit in ora
Dilecta, & gemitum morienti è pectore duxit,
Testor, ait, Superos, Numénque quo omnia lustrat
Lumine, & abstrusis oculum sub mentibus infert;
Castior haud ignis, nec flamma est purior Astris.
Dilexi, fateor; formosíque oris imago
Sculpta intus, puri tedam succendit amoris.
Ætati succrevit amor, spes improba fovit
Ardorem, & sanguis Comnena è stirpe petitus.
Nec se ingens verbo aut oculis nutúve retexit,
Nec modo se proferre palam, flammásque vorantes
Auderet; concessa foret nisi morte facultas,
Et per lethiferum exirent incendia vulnus.
Hæc Iuvenis dum magno animi dat verba tumultu,
Occlusósque ignes pandit, cordísque latebras;
Excitur pestis, vomitúque effusus abundè
It cruor, & vitam leto admovet. Arte medentum
Curatur; Virgo ipsa manum dat sedula curæ,
Linteolísque parat fomenta: heu nescia quantam
Flammam alat, & frigens quos dextra exsuscitet ignes.
Mox iterum solvit Iuvenis sibi redditus ora

Quid

Quid moror, Irene, & properantia funera perdo?
Vnam te colui, vnam te sincerus amavi:
Verbo parce: nec ardores aluisse pudicos
Pœnitet, aut tacitis depasci viscera flammis.
Nam tibi qui morior, tibi qui servare salutem
Morte mea potui, nunc felicissima fata
Experior miserósque dies iam morte beatus,
Immuto: sortem optatam dabit Vrna sepulcro.
CASTRIOTVS vivat coniux tibi, dum tibi felix
Cymodoon moritur, téque in connubia mittit.
Sat mihi sic potuisse mori. Simul opprimit ora
Deliquium, & vocem mortis præclusit imago.
Irene pingente genas suffusa rubore,
Rorantes oculos spectantibus occulit, alto
Pectore constringens gemitum, tristémque dolorem,
Tum Perylo tradit morientem, animæque salutem
Insinuat mystæ: suspectáque tecta relinquens:
Mox sola ingemuit tutò, fletúmque profudit.

XXIII.

Dracutis oratio.

NEc piger in castris terit otia lenta Dracutes:
Tempestas vt cessit atrox, posuitque tumultus:
Sultano sic verba facit. Transmittere noctem
Hanc possum in castris? etiam stant mœnia Croiæ,
Et vivo? necdum Magicas evado per artes?
Sed redeo: contra ventorum obstantia pugnent
Agmina, grandinei fundant se nubibus imbres,
Ipse Tonans tela intentet, repetitáque vibret:
Aut vincam, aut moriar. Nec me Deus ire vetabit
Si tamen est, Croiámque alta tumulare ruina.
Sultanus rabiem placat, spondétque sub ortum
Auroræ, totis rediturum in mœnia turmis.

Cassandi

Ponderis immensi chalybem formante camino
Loricam galeámque ferunt immania dorsa,
Et caput; & vires superant. Læua horrida peltam
Gestat Amasonidem, scutum clypeúmque repellit:
Clauam dextra gerit; præduro è robore moles
Prodiit, & tota fabrefacta est arbore claua;
Circùm ingens ferro induitur; nec forma rotunda est,
Sed quadrata riget; cuspis protenditur ingens
Ad latera, & truncum totidem mucronibus armat.
Hæc telum pilum & gladium volucrésques sagittas
Sufficit, heu quoties hostili in sanguine mersa!
Pugna in procinctu est; sed dum ferus agmina lustrat,
Aduertit Satrapas mutato incedere cultu,
Miscerique gregi, & pugnæ decerpere partem:
Cantamirum agnoscit, Chatitem, & depile mentum
Sabarij, fortémque Halium, iuvenémque Sarazum:
Et Machometus adest tectus vulgaribus armis,
Furatus sese genitori; at nobile furtum
Laudis amor, latebrásque suas nunc Gloria quærit.
Bulgarus indignans frendet. Prædonibus, inquit,
An mea laus, & honor, concessáque præda patebunt!
Isne ego, qui sociis egeam? fortè hæc mea dextra
Accersat comites? Quisquis mea tela iuvabit,
Hostis erit: mihi Croianus vel Turca perinde est.
Sic fatus, totum in Satrapas se vertit, & æstum
Irarum solvit: ciuiliáque arma mouentur.
Arcet Amurates: Satrapæque abscedere iussi.

X.

Illata impressio.

INsonuere tubæ, pulsatáque tympana lectas
Ire iubent turmas, muríque inscendere labem.
Telorum extemplò contexitur æthere nubes,
Inqúe vrbem effundit sese: crepat horrida ferro
Grando sagittarum, & mortem simul inuehit alis.
Sed nec Croianis lenta est manus: arcubus instant,
Spiculáque immittunt: murum ampla caterva coronat,

Neruósque ingeminant, repetitáque cornua iungunt.
Sub telis Asapi, numerosi in funera, leto
Procumbunt vili, sternúntque cadavere Pontem.
Sic cùm tristis hyems Autumno impendet adulto,
Et languet telluris honor: si frigidus Arcto
Prorumpit Boreas terrásque invadit apertas;
Excussæ arboribus frondes, ramísque solutæ,
Vestam implent, reddúntque piæ sua funera matri.
Iámque Ianisseros tela inter Martius ardor
Promovet; in muri labem iamjam agmina scandunt.

XI.

Dracutes murum conscendit.

Accelerat, geminátque gradum, peltámque Dracutes
Erigit; in peltam incassum pluit horridus imber.
Vt primum cliuo subiit, murísque ruentis
Trivit saxa ferox; Euge inquit, iam pede victos
Calcamus, miserámque premunt vestigia Croiam;
Iam nos præda manet; pudet ha! quod transfuga muris
SCADERBEGVS abest, nec dignum hic obiicit hostem.
Ista fremens scandit. Sequitur non gressibus æquis
Ibranus; fratrem hunc dederat Tyriana Dracuti
Mater, & ad similes rapuit fortuna labores;
Nec dispar animus; licet arcto in corpore vires
Sint modicæ, & primis nuper pubescat in annis.
Tum Murtaza audax, Turgutus, & impius Aster
In Superos; miles properat, stipátque phalangem.

XII.

Turcæ repulsi.

Nec muris cessatum altis. Frémit aggere Croia,
Ciuísque & miles nullo discrimine pugnant.
Illi inflammatas vastis lebetibus vndas
Diffundunt, lymphásque armant, elementáque iungunt.
Hi rapiunt mutatam igni, flammæquè rapacem

E Pallada,

Pallada, & ignitos eructant mœnibus imbres;
Incensus liquor arma subit, pérque obsita ferro
Corpora prorepit, funditque sub artubus ignes.
At non telum vllum, nec pestis acerbior vlla,
Hac quam Zunites ignotâ immiscuit arte.
Materiam legit igniferam; sunt sulphura lecta,
Camphora, & asphaltum, rapiénsque incendia naphte;
Vitalem simul indit aquam; Bacchi illa calentis
Spiritus, & Bromij rapidum decocta furorem,
Vulcanum abscondit fluctu, larvâque fluenti.
Non haustus de fonte liquor, non Spumeus amnis,
Nec totam æquoribus vertens se prodiga Thetis,
Extinguant subitos ignes, flammámque voracem.
Zunitem circùm fervet globus: imbribus æther
Sulphureis splendet, mortémque in luce volutat.

XIII.

Ignes Graci

CAllicles primus medicata incendia vibrat;
Corripit Asterem fornax, hærétque nitenti
Thorace, & pingui ferrum caligine torret.
Continuò tacitæ penetrant sub pectora flammæ,
Pérque ipsum chalibis textum, ferríque medullas
Vulcanum immittunt, iámque intima viscera tentant.
Ad monstrum, subitósque rogos exhorruit Aster,
Et dextra ferro armata simul excutit ignes,
At dextram rapuere rogi, fusíque lacertum
Invadunt, miseróque avidi se corpore pascunt.
Vt videt ardentes artus, membrísque caminum
Incendi, pinguésque focos in viscera condi;
Aster terribilis quatiens vlulatibus auras,
Lymphato excurrit similis, si forte furentem
Disjiciat pestem; motu illa tenacior ardet,
Increscítque notis, flammantia diripit arma,
At furit in vestes pestis diffusa per artus.
Quod superest in stagna ruit, fossámque patentem;
Si flammam extinguant vndæ, potæque favillas

Conficiant,

Conficiant, ignésque necet moriturus in vndis.
Sed neque naufragio flammam premit; illa fluentis
Incrementa rapit, fluctúque atrocior vrit.
Quin stagnum rogus arripuit, Nymphæque flagrantem
Persensere luem; frigúsque in fontibus vstum est.
Tùm demùm in Superos Aster, summúmque Tonantem
Execranda vomit; flammas vndásque lacessit;
Quódque super vitæ est, horrenda in crimina donat,
Indulgens morti rabiem, dirúmque furorem;
Donec inexhaustus sceleri, geminantibus vndis
Funera partitur; letum, vitámque scelestam
Fluctibus & flammis tradit; fugit illa sub Orcum.
Et socios flammæ involvunt; contagia latè
Sparguntur; nocet auxilio iuvisse cadentes.
Ergo omnis trepidare cohors: huc ferre solutam
Atque illuc aciem; si quà ignis flammula vibrat
Diffugere, & timidis nimium comparcere telis.

XIV.

Dracutes ab ignibus tectus.

VNus in Ætnæam fornacem impunè Dracutes
Proruit, & pavidos forti sic increpat ore.
Quid fugitis miseri? telorum, animíque prioris
Immemores? tanti est vanis incurrere flammis?
At fugiunt illæ impavidos, timidósque sequuntur.
Respicite, & mecum vestigia vertite, cedent
Vanescéntque rogi. Quin mox incendia nostra
Inferimus, verísque rogis evertimus vrbem?
Sic ait; inque vnum collimant ignea tela,
Croianísque vnus scopus est. Vocat ecce maniplum
Tartareum Astartes, tædísque voracibus obstat;
Bellantem tegit orbe cauo, quem fuderat igni
Horrendo Cyclops Stygius, domitúmque palude
Cocyti, in flammas humanáque tela ferebat
Libavere rogi clypeum; simul excidit omnis
Impetus, & vanas flammæ crepuere sub auras.
Æthere & infusi comites incendia difflant,

Restingúntque focos; quanquàm cruciantibus intus
Vruntur, flammásque suas in secula pascunt.
Instaurati animi; rursum omnis turba Dracutem
Consequitur, telísque vrget, properátque subire.

XV.

Saxa in Turcas provoluta.

CRoiani noua tela parant, ingentia muris
Provolvunt saxa, & moles super agmina fundunt.
Ædibus euulsum marmor, pariásque columnas
Porticibus raptas, tumulorum immania claustra,
Atriáque evolvunt; hostes patuere ruinæ,
Traxítque immensum protrita cadauera pondus.
Adstabat rupes; divulsum culmen Olympo
Dixeris, aut ruptum Tauri de vertice fragmen;
Exturbare loco aggressi, propellere muro
Cymodoon Caunúsque ardent, sævúmque Dracutem
Sternere, & imposito rabiem contundere monte
En rupes avulsa ruit, clivóque ruinam
Præcipitat; vasto sonitu circùm tonat æther.
Exclamant Turcæ; nec enim impendentia fata
Effugiant; tanta est moles, sic impete fertur.
At contra audaci tendit vestigia gressu
Bulgarus, & montem monti componere tentat;
In rupem scutum opponit, totóque resistit
Corpore, & in molem ferrato pectore pugnat.
Mirum, seu vires hominis, seu robur Averni,
Astartésque latens; hærere immobile saxum
Visitur, ingenti gemuit sub pondere terra.
Exclamant iterum Turcæ, plausúque sonanti
Increpitant, lætásque vehunt ad sydera voces.

XVI.

Dracutes victor, murum inſcendit.

IS Turcis poſtremus obex; per ſaxa Dracutes
Emicat, Croiam ſublimis ab aggere ſpectat.
Stant propius comites, Ibranus, & integra pubes
Militum, & obiecto latam implent pectore labem.
Bulgarus inſultat verbis. Tandem irrita clauſtra
Fregimus; en lepores inuenta cubilia monſtrant,
Nunc opus eſt ferro; nec vos vel ſaxa vel ignes
Morte tegent; opus eſt ferrum contendere ferro.
Hæc vbi dicta; ruit præceps. Fugite obuia turba,
Heu miſeri, & clauæ properantia tollite fata.
Callicles tamen it primus, criſpátque ſariſſam,
Et quà barbarico moles ſe pectore pandit,
Ictum infert, potuítque gradum tardare ruentis;
Illam ictus frangit, ſævum impulit ira Dracutem;
Tum clavam attollit, fruſtráque opponere tegmen
Conantem clypei, cæſum Callicleа ſternit;
Per ſcutum galeámque imum ſcrutata cerebrum:
Claua rubet; tabum latè diſpergitur albens.
Barbarus hinc furit in mediis, turbámque prementem
Disjicit, ingentes cumulátque ſub arbore clades.

XVII.

Cauni vulnus.

NEc tenuit te Caune timor, teneræque iuventæ
Sanguine pubeſcens ætas, aut robur iniquum,
Quin ruere, & certæ auderes occurrere morti.
Impatiens laudum Iuvenis, cladíſque patratæ,
Non haſtas, non tela vibrat; ſed proximus enſe
Imminet, intentátque audax in vulnera ferrum.
Nec fruſtra; in peltam mucro primúmque lacertum
Mittitur, & Turcæ primo ſe ſanguine tingit;
Gutta fluit, veſtit peltæ ſe fragmine tellus.

Vt parmam infractam; nec enim leve vulnus ob iram
Senserat; in læva inspexit: felicibus, inquit,
Auguriis; quid scuto egeo? num me mea virtus
Vna teget? sed nec ferro mitteris ad vmbras
Tartareas; hæc te tua Laus & Gloria mactet.
Sic ait, & fragmen peltæ detorquet in ora.
Ærata ingemuit galea; ingentíque sub ictu
Caune ruis, crassúmque vomis patulo ore cruorem.

XVIII.

Dracutis amor.

STat procul Irene flavo spectabilis arcu,
Incendítque aciem; necdum torquere sagittam
Ausa, nec hostiles nervo turbare phalanges.
Vt vidit Caunum, & misero impendere Dracutem
Albani memor, arma movet; paucísque precatur
Aligerum comitem, certo sua dirigat ictu
Spicula, & immanem Iudita Holofernea sternat
Extemplò emissâ sonat actus arundine nervus;
Effugit hæc stridens, & quà galea ima Dracutis
Ora tegit, ferrum libat: mox impete casso
Excidit; ad tantum vulnus nimis impare dextrâ.
Nec tamen illa trucem latuit; circùm horrida volvit
Lumina, & inclusum fulmen de casside vibrat.
Ecce iterum telo appetitur, galeámque sagitta
Verberat, & chalybem sonitu percessit inani.
Tum fremere, & magnas irarum evolvere moles;
Irenen simul aspexit. Nervo illa sagittam
Aptabat, festina mori, ni vulnera ferret:
Quanquàm aliis vincer telis. Vt Barbarus hæsit
Virginis in vultu, speciémque improvidus hausit,
(Et pudor insolito suffuderat ora rubore)
Continuò bellum ponit, cæcúmque furorem;
Solvitur innatum frigus, ferrúmque liquescit
Pectoris, & subitæ penetrant in viscera flammæ;
In venas iam repit Amor. Ferit ecce stupentem
Tertia iam cornus, tenerum nec turbat amorem.
Quin ille armorum, Caunique, & laudis, & iræ

Immemor, ingemuit. Quid me tua tela lacessunt?
Num satis est percelli oculis? depone sagittas,
Vicisti, ferit cor immedicabile vulnus.

XIX.

Cymodoon Saucius.

Barbarus hæc animo. Sed non hæsere phalanges
Christiadûm; telis gladiisque ferocibus vrgent.
Ille stat immotus, séque ipso hostilia pellens
Spicula, in adverso stupidus defigitur ore;
Inqúe oculos mens tota fluit. Tandem illa furorem
Suscitat, & primam rabiem confundit amori.
Virginis inspirat raptum malesuada voluptas,
Impurique ignes; ruit hic quò letifer ardor
Exagitat, pellitque furens spissa agmina ferro.
Non aliter stabulans altis sub montibus vrsus,
Quem somno glacialis hyems, pigróque veterno
Obruit, & cæco innocuum religavit in antro;
Venantum si turba ruit, ferróque iacentem
Vulnerat; abrumpens ignavi vincula somni
Terribilis surgit, venantúmque agmina frendens
Disjicit, egelidásque nives cum sanguine miscet.
Vnus Cymodoon, callens quid barbara volvant
Consilia, Irenæ metuens, (nam quæ abdita purus
Non evolvat amor?) Murtazan vulnere stratum
Deserit, & magnum properat contendere in hostem.
Dextera nec lenta est; verso ferit ense Dracutem;
Lævo humero iam vulnus hiat, chalybémque cruentat
Barbaricus sanguis, calidúsque in pectora manat.
Bulgarus infrendet, claváque insurgit in ictum,
Quo saxa & cautes præduráque marmora frangat.
Declinat Iuvenis, subitóque obnoxia leto
Membra rapit, séque ipse neci furatur apertæ.
Barbarus instat atrox; nec iam velocior ala
Profuerit, celerésve Euri sub membra refusi,
Quin claua excipiat Iuvenem, mittátque sub vmbras.
Tandem intercipitur; clavâ stringente patentes
Annectunt quà dorsum humeri; luxata repentè
Ossa gemunt, Iuvenisque miser procumbit in ora

X X.

Tempestas cœlitus immissa.

Hæc dum Turca patrat, muros dum stragibus opplet,
Christipara Empyreo Croiam spectabat Olympo;
Et casus sortémque gravem miserata, Georgum
Alloquitur. Vincunt hostes, promptæque ruinæ
Vrbs patet, vrbs commissa tibi; paterísque cohortes
Tartareas templis arísque incendia ferre
Tu quondam bello egregius; clarúsque triumphis
Quin agis, & tecum ventos dirásque procellas
Auxilio rapis, & cives vrbémque tueris?
Dixerat. Extemplò nimbos ventósque Georgus
Euocat, & sævis se tempestatibus armat.
Aëra contexunt tetrâ caligine nimbi,
Et fœdant lucem tenebris, noctémque profundam
Suffundunt iubari; simul ingens ossa sub ima
It pauor, & subito riguerunt frigore nervi.
Diuersi occasu surgunt, flatúsque furentes
Præcipitant, sævo miscens se turbine Caurus,
Grandineósque vehens imbres; & nubibus atris
Africus erumpens, & cæco fulmine prægnans
In Turcas sese excutiunt, rapidóque sonori
Mugitu, arma vetant, gressúmque; ínque ora recepti
Vitalem offocant auram & spiracula stipant.
Tum nimbi tela euolvunt; grando horrida nimbis
Funditur, & rapidis ventorum afflantibus alis
Ora ferit, tendítque oculos, saxísque globosis
Perfringit galeas, & tectos vulnerat artus.
Fulguribus coelum omne micat, fremuere tumultu
Nubila, fulmineo dirum eluctantia partu,
Intentántque necem horrendam, telúmque trisulcum.
His monstris Turcæ expulsi; déque aggere rapti
Plana terunt, telis campi clypeísque refulgent.

Vnus

XXI.

Dracutes tempestate pellitur

VNus in insana stat tempestate Dracutes,
Luctantésque premit ventos, lapidosáque frangit
Spicula nimborum, & reboantia fulmina ridet.
Ardentes Croiani instant; vestigia figit
Intrepidus, gressûque hæret, claváque minatur.
Tum demum Cauri flamen subeunte Georgo,
Atque imbres armante polo, iam viribus impar
Pellitur, & muris amens abscedit ab altis:
Nec tamen obvertit terga, aut ruit impete raptus:
Sed sensim, & multo in ventos conamine luctans,
Execránsque Deum verbis, fulménque lacessens:
Debuerátque peti: nisi perfida victima fulmen
Albani maneat: dabit hoc sub vindice pœnas.
Quin & Amuratem deturbavere procellæ,
Et castris fecere metum: tentoria venti
Dejiciunt, fulcra abrumpunt, funésque resolvunt:
Derepta obscuro volitant holoserica cœlo,
Poma ruunt: lugent Astro vexilla bicorni
Orbata & sævi confundunt omnia Cauri.
Tum fœdi exundant imbres, campósque patentes
Exsuperant, noctémque augent, cæcúmque tumultum.
Gemmæ hærent cœno: lutulentum euolvitur aurum,
Fluctibus irrumpunt vndæ, gasásque latentes
Corripiunt, Regúmque opibus sua flumina ditant.
Hæc inter nox vera ruit, terrísque tenebras
Intulit, & lucem peplo subduxit ab astris.

XXII.

Mors Cymodoontis.

AT non Croiani molli indulsere sopori:
Invigilant, labémque implent, læsísque medentur.
Zunites quamquàm paucis sint integra plagæ

Corpora

Quid moror, Irene, & properantia funera perdo?
Vnam te colui, vnam te sincerus amavi:
Verbo parce: nec ardores aluisse pudicos
Pœnitet, aut tacitis depasci viscera flammis.
Nam tibi qui morior, tibi qui servare salutem
Morte mea potui, nunc felicissima fata
Experior miserósque dies iam morte beatus,
Immuto: sortem optatam dabit Vrna sepulcro.
CASTRIOTVS vivat coniux tibi, dum tibi felix
Cymodoon moritur, téque in connubia mittit.
Sat mihi sic potuisse mori. Simul opprimit ora
Deliquium, & vocem mortis præclusit imago.
Irene pingente genas suffusa rubore,
Rorantes oculos spectantibus occulit, alto
Pectore constringens gemitum, tristémque dolorem,
Tum Perylo tradit morientem, animæque salutem
Insinuat mystæ: suspectáque tecta relinquens:
Mox sola ingemuit tutò, fletúmque profudit.

XXIII.

Dracutis oratio.

NEc piger in castris terit otia lenta Dracutes:
Tempestas vt cessit atrox, posuítque tumultus:
Sultano sic verba facit. Transmittere noctem
Hanc possum in castris? etiam stant mœnia Croiæ,
Et vivo? necdum Magicas evado per artes?
Sed redeo: contra ventorum obstantia pugnent
Agmina, grandinei fundant se nubibus imbres,
Ipse Tonans tela intentet, repetitáque vibret:
Aut vincam, aut moriar. Nec me Deus ire vetabit
Si tamen est, Croiámque alta tumulare ruina.
Sultanus rabiem placat, spondétque sub ortum
Auroræ, totis rediturum in mœnia turmis.

Cassandi

XXIV.

Clades Spitigræ.

CAſſandro interea narranti accommodat aurem
Albanus, miſeræque vrbi ſuſpiria donat.
Narrabat, quæ Spitigradam defendere virtus,
Quíque animi potuere diu: quàm Memnonis arma
Fauſta ducis: quos erumpens proſtraverit hoſtes,
Vt Turcam muro expuler t, partémque ſolutam
Texerit: heu donec tacitas Amuratus ad artes
Confugiens, terram ſubter graſſante ruina,
Suffoſsiſque altè ſcrobibus, ſubuexerit vrbi
Cladem improuiſam. Medio tunc protulit hoſtes
Terra foro; ciues tenebris ſomnóque ſepultos
Mors rapit, omnicremis conflagrant ignibus ædes:
Et iam Spitigradæ nihil eſt niſi nomen inane.
Rex gemit, & multùm charo de Memnone quærit:
An dira involvat clades, an vita ſuperſtet.
Ille refert cæſum: quanquàm haud ignobile letum
abſtulit: oppoſito qui propugnauerit Arcem
Corpore, dum flammis teliſque hoſtilibus actus,
Ipſe ſui vindex, animam inter vulnera fudit.
Narrantem iſta vehunt fauſto turgentia vento
Carbaſa & optato naves in littore ſiſtunt.
Rex celer in portum evadit, ſimul exilit alno
Bragadinus, Venetíque ardent prodire carinis,
Timoleon Regem expectat, triſtémque ſalutem
Nunciat: vt Croiam tormenta hoſtilia quaſſent,
Vt labem muro intulerint: vrbíque Amuratus
Vim paret, & totis forſan nunc inferat armis.

XXV.

Regis ad Deiparam preces.

PLuribus hæc. Nigrâ terras circùm implicat vmbrâ
Humida nox, feſsóſque ſopor ſubrepit in artus.

Haudquaquam

Haudquàquam tamen in Regis se luminafundit :
Expellit dolor excrucians, angórque futuri.
Postquam animo multa evolvit : tum denique verbo
Christiparam appellat, precibúsque fatigat amantem.
Alma Parens, semper miserorum obnoxia votis,
Hem quid ago, quídve instituo ? sed enim tua iussa
Me regno emittunt, peregrináque littora cogunt
Quærere, & externis spem rerum imponere fulcris.
Christiadum interea pestis, dirúsque Tyrannus
Vastat agros, cumulat strages, atque eruit vrbes
Impune, & sedem Imperij iam iámque revellit.
At si me contrà inferrem, regnúmque tuerer,
Forsan Spitigradæ incolumis nunc mœnia starent,
Memnona nec fatum raperet : nec funera cives
Obruerent, tótque insontes Libitina necaret.
Sin occumbendum fuerat, mortíque litandum,
Primus ego peterem Manes, si corpore toto
Fortè meos tegerem, letúmque auertere possem.
Pulcrè etenim, laudémque implens, nec inultus obire
Quid nunc Albani dicant, civésque relicti ?
Dum ferrum, hostilem rabiem, letúmque subimus,
Navigat hic tutus pelago, securáque captat
Otia : sic regno pugnat, regnúmque tuetur ?
Ipsi hostes fugisse putent, & vertere terga,
Cùm frontem optarent, ferrúmque lacessere ferro.
Non queror, ô Mater ; iuvat audivisse iubentem,
Imperiis iuvat ire tuis : quæ fata supersunt,
Ipsa rege, & sanctus rerum quæ destinat ordo.
Vnum oro, si letum instat, da fundere vitam
Tela inter, sævúmque hostem contundere morte.
Orabat : placidúsque rigat iam pectora somnus.

XXVI.

Rex Croiam delatus.

A Liger interea (Superûm Regina iubebat)
Circumdat sopitum armis, laterique nitentem
Ensem aptat, lææ clypei connectit habenas,

Et

Pallada, & ignitos eructant mœnibus imbres;
Incensus liquor arma subit, pérque obsita ferro
Corpora prorepit, funditque sub artubus ignes.
At non telum vllum, nec pestis acerbior vlla,
Hac quam Zunites ignotâ immiscuit arte.
Materiam legit igniferam; sunt sulphura lecta,
Camphora, & asphaltum, rapiénsque incendia naphte;
Vitalem simul indit aquam; Bacchi illa calentis
Spiritus, & Bromij rapidum decocta furorem,
Vulcanum abscondit fluctu, larváque fluenti.
Non haustus de fonte liquor, non Spumeus amnis,
Nec totam æquoribus vertens se prodiga Thetis,
Extinguant subitos ignes, flammámque voracem.
Zunitem circùm fervet globus: imbribus æther
Sulphureis splendet, mortémque in luce volutat.

XIII.

Ignes Græci

Callicles primus medicata incendia vibrat;
Corripit Asterem fornax, hærétque nitenti
Thorace, & pingui ferrum caligine torret.
Continuò tacitæ penetrant sub pectora flammæ,
Pérque ipsum chalibis textum, ferríque medullas
Vulcanum immittunt, iámque intima viscera tentant.
Ad monstrum, subitósque rogos exhorruit Aster,
Et dextra ferro armata simul excutit ignes,
At dextram rapuere rogi, fusíque lacertum
Invadunt, miseróque avidi se corpore pascunt.
Vt videt ardentes artus, membrísque caminum
Incendi, pinguésque focos in viscera condi;
Aster terribilis quatiens vlulatibus auras,
Lymphato excurrit similis, si forte furentem
Disjiciat pestem; motu illa tenacior ardet,
Increscítque notis, flammantia diripit arma,
At furit in vestes pestis diffusa per artus.
Quod superest in stagna ruit, fossámque patentem;
Si flammam extinguant vndæ, poteque favillas

Conficiant,

Conficiant, ignésque necet moriturus in vndis.
Sed neque naufragio flammam premit; illa fluentis
Incrementa rapit, fluctúque atrocior vrit.
Quin stagnum rogus arripuit, Nymphæqúe flagrantem
Persensere luem; frigúsque in fontibus vstum est.
Tùm demùm in Superos Aster, summúmque Tonantem
Execranda vomit; flammas vndásque lacessit;
Quódque super vitæ est, horrenda in crimina donat,
Indulgens morti rabiem, dirúmque furorem;
Donec inexhaustus sceleri, geminantibus vndis
Funera partitur; letum, vitámque scelestam
Fluctibus & flammis tradit; fugit illa sub Orcum.
Et socios flammæ involvunt; contagia latè
Sparguntur; nocet auxilio iuvisse cadentes.
Ergo omnis trepidare cohors: huc ferre solutam
Atque illuc aciem; si quà ignis flammula vibrat
Diffugere, & timidis nimium comparcere telis.

XIV.

Dracutes ab ignibus tectus.

VNus in Ætnæam fornacem impunè Dracutes
Proruit, & pavidos forti sic increpat ore.
Quid fugitis miseri? telorum, animíque prioris
Immemores? tanti est vanis incurrere flammis?
At fugiunt illæ impavidos, timidósque sequuntur.
Respicite, & mecum vestigia vertite, cedent
Vanescéntque rogi. Quin mox incendia nostra
Inferimus, versísque rogis evertimus vrbem?
Sic ait; inqúe vnum collimant ignea tela,
Croianísque vnus scopus est. Vocat ecce maniplum
Tartareum Astartes, tædísque voracibus obstat;
Bellantem tegit orbe cauo, quem fuderat igni
Horrendo Cyclops Stygius, domitúmque palude
Cocyti, in flammas humanáque tela ferebat
Libavere rogi clypeum; simul excidit omnis
Impetus, & vanas flammæ crepuere sub auras.
Æthere & infusi comites incendia difflant,

Reſtinguntque focos; quanquàm cruciantibus intus
Vruntur, flammáſque ſuas in ſecula paſcunt.
Inſtaurati animi; rurſum omnis turba Dracutem
Conſequitur, teliſque vrget, properátque ſubire.

XV.

Saxa in Turcas provoluta.

CRoiani noua tela parant, ingentia muris
Provolvunt ſaxa, & moles ſuper agmina fundunt.
Ædibus euulſum marmor, pariáſque columnas
Porticibus raptas, tumulorum immania clauſtra,
Atriáque evolvunt; hoſtes patuere ruinæ,
Traxítque immenſum protrita cadauera pondus.
Adſtabat rupes; divulſum culmen Olympo
Dixeris, aut ruptum Tauri de vertice fragmen;
Exturbare loco aggreſſi, propellere muro
Cymodoon Caunúſque ardent, ſævúmque Dracutem
Sternere, & impoſito rabiem contundere monte
En rupes avulſa ruit, clivóque ruinam
Præcipitat; vaſto ſonitu circùm tonat æther.
Exclamant Turcæ; nec enim impendentia fata
Effugiant; tanta eſt moles, ſic impete fertur.
At contra audaci tendit veſtigia greſſu
Bulgarus, & montem monti componere tentat;
In rupem ſcutum opponit, totóque reſiſtit
Corpore, & in molem ferrato pectore pugnat.
Mirum, ſeu vires hominis, ſeu robur Averni,
Aſtartéſque latens; hærere immobile ſaxum
Viſitur, ingenti gemuit ſub pondere terra.
Exclamant iterum Turcæ, plauſúque ſonanti
Increpitant, lætáſque vehunt ad ſydera voces.

XVI.

Dracutes victor, murum inscendit.

IS Turcis postremus obex; per saxa Dracutes
Emicat, Croiam sublimis ab aggere spectat.
Stant propius comites, Ibranus, & integra pubes
Militum, & obiecto latam implent pectore labem.
Bulgarus insultat verbis. Tandem irrita claustra
Fregimus; en lepores inuenta cubilia monstrant,
Nunc opus est ferro; nec vos vel saxa vel ignes
Morte tegent; opus est ferrum contendere ferro.
Hæc vbi dicta; ruit præceps. Fugite obuia turba,
Heu miseri, & clauæ properantia tollite fata.
Callicles tamen it primus, crispátque sarissam,
Et quà barbarico moles se pectore pandit,
Ictum infert, potuítque gradum tardare ruentis;
Illam ictus frangit, sævum impulit ira Dracutem;
Tum clavam attollit, frustráque opponere tegmen
Conantem clypei, cæsum Calliclea sternit;
Per scutum galeámque imum scrutata cerebrum:
Claua rubet; tabum latè dispergitur albens.
Barbarus hinc furit in mediis, turbámque prementem
Disjicit, ingentes cumulátque sub arbore clades.

XVII.

Cauni vulnus.

NEc tenuit te Caune timor, teneræqúe iuventæ
Sanguine pubescens ætas, aut robur iniquum,
Quin ruere, & certæ auderes occurrere morti.
Impatiens laudum Iuvenis, cladísque patratæ,
Non hastas, non tela vibrat; sed proximus ense
Imminet, intentátque audax in vulnera ferrum.
Nec frustra; in peltam mucro primúmque lacertum
Mittitur, & Turcæ primo se sanguine tingit;
Gutta fluit, vestit peltæ se fragmine tellus.

Vt parmam infractam; nec enim leve vulnus ob iram
Senſerat; in læva inſpexit: felicibus, inquit,
Auguriis; quid ſcuto egeo? num me mea virtus
Vna teget? ſed nec ferro mitteris ad vmbras
Tartareas; hæc te tua Laus & Gloria mactet.
Sic ait, & fragmen peltæ detorquet in ora.
Ærata ingemuit galea; ingentíque ſub ictu
Caune ruis, craſsúmque vomis patulo ore cruorem.

XVIII.

Dracutis amor.

STat procul Irene flavo ſpectabilis arcu,
Incendítque aciem; necdum torquere ſagittam
Auſa, nec hoſtiles nervo turbare phalanges.
Vt vidit Caunum, & miſero impendere Dracutem
Albani memor, arma movet; paucíſque precatur
Aligerum comitem, certo ſua dirigat ictu
Spicula, & immanem Iudita Holofernea ſternat
Extemplò emiſsâ ſonat actus arundine nervus;
Effugit hæc ſtridens, & quà galea ima Dracutis
Ora tegit, ferrum libat: mox impete caſſo
Excidit; ad tantum vulnus nimis impare dextrâ.
Nec tamen illa trucem latuit; circùm horrida volvit
Lumina, & incluſum fulmen de caſſide vibrat.
Ecce iterum telo appetitur, galeámque ſagitta
Verberat, & chalybem ſonitu perceſſit inani.
Tum fremere, & magnas irarum evolvere moles;
Irenen ſimul aſpexit. Nervo illa ſagittam
Aptabat, feſtina mori, ni vulnera ferret:
Quanquàm aliis vincet telis. Vt Barbarus hæſit
Virginis in vultu, ſpeciémque improvidus hauſit,
(Et pudor inſolito ſuffuderat ora rubore)
Continuò bellum ponit, cæcúmque furorem;
Solvitur innatum frigus, ferrúmque liqueſcit
Pectoris, & ſubitæ penetrant in viſcera flammæ;
In venas iam repit Amor. Ferit ecce ſtupentem
Tertia iam cornus, tenerum nec turbat amorem.
Quin ille armorum, Cauníque, & laudis, & iræ

Immemor

Immemor, ingemuit. Quid me tua tela lacessunt?
Num satis est percelli oculis? depone sagittas,
Vicisti, ferit cor immedicabile vulnus.

XIX.

Cymodoon Saucius.

Barbarus hæc animo. Sed non hæsere phalanges
Christiadûm; telis gladiisque ferocibus vrgent.
Ille stat immotus, séque ipso hostilia pellens
Spicula, in adverso stupidus defigitur ore;
Inque oculos mens tota fluit. Tandem illa furorem
Suscitat, & primam rabiem confundit amori.
Virginis inspirat raptum malesuada voluptas,
Impurique ignes; ruit hic quò letifer ardor
Exagitat, pellitque furens spissa agmina ferro.
Non aliter stabulans altis sub montibus vrsus,
Quem somno glacialis hyems, pigróque veterno
Obruit, & cæco innocuum religavit in antro;
Venantum si turba ruit, ferróque iacentem
Vulnerat; abrumpens ignavi vincula somni
Terribilis surgit, venantúmque agmina frendens
Disjicit, egelidásque nives cum sanguine miscet.
Vnus Cymodoon, callens quid barbara volvant
Consilia, Irenæ metuens, (nam quæ abdita purus
Non evolvat amor?) Murtazan vulnere stratum
Deserit, & magnum properat contendere in hostem.
Dextera nec lenta est; verso ferit ense Dracutem;
Lævo humero iam vulnus hiat, chalybémque cruentat
Barbaricus sanguis, calidúsque in pectora manat.
Bulgarus infrendet, claváque insurgit in ictum,
Quo saxa & cautes prædurásque marmora frangat.
Declinat Iuvenis, subitóque obnoxia leto
Membra rapit, séque ipse neci furatur apertæ.
Barbarus instat atrox; nec iam velocior ala
Profuerit, celerésve Euri sub membra refusi,
Quin claua excipiat Iuvenem, mittátque sub vmbras.
Tandem intercipitur; clavâ stringente patentes
Annectunt quà dorsum humeri; luxata repentè
Ossa gemunt, Iuvenisque miser procumbit in ora

XX.

Tempestas cœlitus immissa.

HÆc dum Turca patrat, muros dum stragibus opplet,
Christipara Empyreo Croiam spectabat Olympo;
Et casus fortémque gravem miserata, Georgum
Alloquitur. Vincunt hostes, promptæque ruinæ
Vrbs patet, vrbs commissa tibi; paterísque cohortes
Tartareas templis arísque incendia ferre
Tu quondam bello egregius; clarúsque triumphis
Quin agis, & tecum ventos dirásque procellas
Auxilio rapis, & cives vrbémque tueris?
Dixerat. Extemplò nimbos ventósque Georgus
Euocat, & sævis se tempestatibus armat.
Aëra contexunt tetrâ caligine nimbi,
Et fœdant lucem tenebris, noctémque profundam
Suffundunt iubari; simul ingens ossa sub ima
It pauor, & subito riguerunt frigore nervi.
Diuersi occasu surgunt, flatúsque furentes
Præcipitant, sævo miscens se turbine Caurus,
Grandineósque vehens imbres; & nubibus atris
Africus erumpens, & cæco fulmine prægnans
In Turcas sese excutiunt, rapidóque sonori
Mugitu, arma vetant, gressúmque; ínque ora recepti
Vitalem offocant auram & spiracula stipant.
Tum nimbi tela euolvunt; grando horrida nimbis
Funditur, & rapidis ventorum afflantibus alis
Ora ferit, tendítque oculos, saxísque globosis
Perfringit galeas, & tectos vulnerat artus.
Fulguribus coelum omne micat, fremuere tumultu
Nubila, fulmineo dirum eluctantia partu,
Intentántque necem horrendam, telúmque trisulcum.
His monstris Turcæ expulsi; déque aggere rapti
Plana terunt, telis campi clypeísque refulgent.

Vnus

XXI.

Dracutes tempestate pellitur

VNus in insana stat tempestate Dracutes,
Luctantésque premit ventos, lapidosáque frangit
Spicula nimborum, & reboantia fulmina ridet.
Ardentes Croiani instant; vestigia figit
Intrepidus, gressûque hæret, claváque minatur.
Tum demum Cauri flamen subeunte Georgo,
Atque imbres armante polo, iam viribus impar
Pellitur, & muris amens abscedit ab altis:
Nec tamen obvertit terga, aut ruit impete raptus:
Sed sensim, & multo in ventos conamine luctans,
Execránsque Deum verbis, fulménque lacessens:
Debuerátque peti: nisi perfida victima fulmen
Albani maneat: dabit hoc sub vindice pœnas.
Quin & Amuratem deturbavere procellæ,
Et castris fecere metum: tentoria venti
Dejiciunt, fulcra abrumpunt, funésque resolvunt:
Derepta obscuro volitant holoserica cœlo,
Poma ruunt: lugent Astro vexilla bicorni
Orbata & sævi confundunt omnia Cauri.
Tum fœdi exundant imbres, campósque patentes
Exsuperant, noctémque augent, cæcúmque tumultum.
Gemmæ hærent cœno: lutulentum euolvitur aurum,
Fluctibus irrumpunt vndæ, gasásque latentes
Corripiunt, Regúmque opibus sua flumina ditant.
Hæc inter nox vera ruit, terrísque tenebras
Intulit, & lucem peplo subduxit ab astris.

XXII.

Mors Cymodoontis.

AT non Croiani molli indulsere sopori:
Invigilant, labémque implent, læsísque medentur.
Zunites quamquàm paucis sint integra plagæ

Corpora

Copora, deducit latam super aggere fossam,
Munitque interius labrum, vallumque supernè,
Erigit; imbellis sexus puerique ministrant.
Irene invisit læsos, gratisque salutem
Comparat officiis, Operisque medentibus adstat.
Spem gaudet Cauno incolumem; sed nobilis angit
Cymodoon, quem fata vrgent; vomitóque cruore
Desperata salus: subeunt generosa iuventus,
Purpureique ortus, postremæ & gloria pugnæ
Irenes animum; volat illa, & iam moriturum
Solatur, blando alloquio testata dolorem.
Ille, ardens quanquam depascitur intima febris,
Multóque arescunt exhaustæ sanguine venæ;
Flammam alit antiquam, primóque amburitur igne,
Quem teneris visâ Irene conceperat annis.
Tum flammæ increscunt, pressúsque incenditur ardor;
Nec cohibere rogum potis est. Da virgo precanti
Vnum inquit; quod mente premo, da pandere possim.
Annuit hæc. Iuvenis postquam respexit in ora
Dilecta, & gemitum morienti è pectore duxit,
Testor, ait, Superos, Numénque quo omnia lustrat
Lumine, & abstrusis oculum sub mentibus infert;
Castior haud ignis, nec flamma est purior Astris.
Dilexi, fateor; formosique oris imago
Sculpta intus, puri tedam succendit amoris.
Ætati succrevit amor, spes improba fovit
Ardorem, & sanguis Comnena è stirpe petitus.
Nec se ingens verbo aut oculis nutúve retexit,
Nec modo se proferre palam, flammásque vorantes
Auderet; concessa foret nisi morte facultas,
Et per lethiferum exirent incendia vulnus.
Hæc Iuvenis dum magno animi dat verba tumultu,
Occlusosque ignes pandit, cordísque latebras;
Excitur pestis, vomitúque effusus abundè
It cruor, & vitam leto admovet. Arte medentum
Curatur; Virgo ipsa manum dat sedula curæ,
Linteolisque parat fomenta: heu nescia quantam
Flammam alat, & frigens quos dextra exsuscitet ignes.
Mox iterum solvit Iuvenis sibi redditus ora

Quid

Quid moror, Irene, & properantia funera perdo?
Vnam te colui, vnam te sincerus amavi:
Verbo parce: nec ardores aluisse pudicos
Pœnitet, aut tacitis depasci viscera flammis.
Nam tibi qui morior, tibi qui servare salutem
Morte mea potui, nunc felicissima fata
Experior miserósque dies iam morte beatus,
Immuto: sortem optatam dabit Vrna sepulcro.
CASTRIOTVS vivat coniux tibi, dum tibi felix
Cymodoon moritur, téque in connubia mittit.
Sat mihi sic potuisse mori. Simul opprimit ora
Deliquium, & vocem mortis præclusit imago.
Irene pingente genas suffusa rubore,
Rorantes oculos spectantibus occulit, alto
Pectore constringens gemitum, tristémque dolorem,
Tum Perylo tradit morientem, animæque salutem
Insinuat mystæ: suspectáque tecta relinquens:
Mox sola ingemuit tutò, fletúmque profudit.

XXIII.

Dracutis oratio.

NEc piger in castris terit otia lenta Dracutes:
Tempestas vt cessit atrox, posuitque tumultus:
Sultano sic verba facit. Transmittere noctem
Hanc possum in castris? etiam stant mœnia Croiæ,
Et vivo? necdum Magicas evado per artes?
Sed redeo: contra ventorum obstantia pugnent
Agmina, grandinei fundant se nubibus imbres,
Ipse Tonans tela intentet, repetitáque vibret:
Aut vincam, aut moriar. Nec me Deus ire vetabit
Si tamen est, Croiámque alta tumulare ruina.
Sultanus rabiem placat, spondétque sub ortum
Auroræ, totis rediturum in mœnia turmis.

Ponderis immensi chalybem formante camino
Loricam galeámque ferunt immania dorsa,
Et caput; & vires superant. Læua horrida peltam
Gestat Amasonidem, scutum clypeúmque repellit:
Clauam dextra gerit; præduro è robore moles
Prodiit, & tota fabrefacta est arbore claua;
Circùm ingens ferro induitur; nec forma rotunda est,
Sed quadrata riget; cuspis protenditur ingens
Ad latera, & truncum totidem mucronibus armat.
Hæc telum pilum & gladium volucrésques sagittas
Sufficit, heu quoties hostili in sanguine mersa!
Pugna in procinctu est; sed dum ferus agmina lustrat,
Aduertit Satrapas mutato incedere cultu,
Miscerique gregi, & pugnæ decerpere partem:
Cantamirum agnoscit, Chatitem, & depile mentum
Sabarij, fortémque Halium, iuvenémque Sarazum:
Et Machometus adest tectus vulgaribus armis,
Furatus sese genitori; at nobile furtum
Laudis amor, latebrásque suas nunc Gloria quærit.
Bulgarus indignans frendet. Prædonibus, inquit,
An mea laus, & honor, concessáque præda patebunt!
Isne ego, qui sociis egeam? fortè hæc mea dextra
Accersat comites? Quisquis mea tela iuvabit,
Hostis erit: mihi Croianus vel Turca perinde est.
Sic fatus, totum in Satrapas se vertit, & æstum
Irarum solvit: ciuiliáque arma mouentur.
Arcet Amurates: Satrapæque abscedere iussi.

X.

Illata impressio.

INsonuere tubæ, pulsatáque tympana lectas
Ire iubent turmas, muríque inscendere labem.
Telorum extemplò contexitur æthere nubes,
Inqúe vrbem effundit sese: crepat horrida ferro
Grando sagittarum, & mortem simul inuehit alis.
Sed nec Croianis lenta est manus: arcubus instant,
Spiculáque immittunt: murum ampla caterva coronat,

Nervósque

Neruósque ingeminant, repetitáque cornua iungunt.
Sub telis Asapi, numerosi in funera, leto
Procumbunt vili, sternúntque cadavere Pontem.
Sic cùm tristis hyems Autumno impendet adulto,
Et languet telluris honor: si frigidus Arcto
Prorumpit Boreas terrásque invadit apertas;
Excussæ arboribus frondes, ramísque solutæ,
Vestam implent, reddúntque piæ sua funera matri.
Iámque Ianisseros tela inter Martius ardor
Promovet; in muri labem iamjam agmina scandunt.

XI.

Dracutes murum conscendit.

ACcelerat, geminátque gradum, peltámque Dracutes
Erigit; in peltam incassum pluit horridus imber.
Vt primum cliuo subiit, muríque ruentis
Trivit saxa ferox; Euge inquit, iam pede victos
Calcamus, miserámque premunt vestigia Croiam;
Iam nos præda manet; pudet ha! quòd transfuga muris
SCADERBEGVS abest, nec dignum hic obiicit hostem.
Ista fremens scandit. Sequitur non gressibus æquis
Ibranus; fratrem hunc dederat Tyriana Dracuti
Mater, & ad similes rapuit fortuna labores;
Nec dispar animus; licet arcto in corpore vires
Sint modicæ, & primis nuper pubescat in annis.
Tum Murtaza audax, Turgutus, & impius Aster
In Superos; miles properat, stipátque phalangem.

XII.

Turcæ repulsi.

NEc muris cessatum altis. Frémit aggere Croia,
Ciuísque & miles nullo discrimine pugnant.
Illi inflammatas vastis lebetibus vndas
Diffundunt, lympháque armant, elementáque iungunt.
Hi rapiunt mutatam igni, flammæquè rapacem

Pallada, & ignitos eructant mœnibus imbres;
Incensus liquor arma subit, pérque obsita ferro
Corpora prorepit, funditque sub artubus ignes.
At non telum vllum, nec pestis acerbior vlla,
Hac quam Zunites ignotâ immiscuit arte.
Materiam legit igniferam; sunt sulphura lecta,
Camphora, & asphaltum, rapiénsque incendia naphte;
Vitalem simul indit aquam; Bacchi illa calentis
Spiritus, & Bromij rapidum decocta furorem,
Vulcanum abscondit fluctu, larváque fluenti.
Non haustus de fonte liquor, non Spumeus amnis,
Nec totam æquoribus vertens se prodiga Thetis,
Extinguant subitos ignes, flammámque voracem.
Zunitem circùm fervet globus: imbribus æther
Sulphureis splendet, mortémque in luce volutat.

XIII.

Ignes Græci

CAllicles primus medicata incendia vibrat;
Corripit Asterem fornax, hærétque nitenti
Thorace, & pingui ferrum caligine torret.
Continuò tacitæ penetrant sub pectora flammæ,
Pérque ipsum chalibis textum, ferríque medullas
Vulcanum immittunt, iámque intima viscera tentant.
Ad monstrum, subitósque rogos exhorruit Aster,
Et dextra ferro armata simul excutit ignes,
At dextram rapuere rogi, fusíque lacertum
Invadunt, miseróque avidi se corpore pascunt.
Vt videt ardentes artus, membrísque caminum
Incendi, pinguésque focos in viscera condi;
Aster terribilis quatiens vlulatibus auras,
Lymphato excurrit similis, si forte furentem
Disjiciat pestem; motu illa tenacior ardet,
Increscítque notis, flammantia diripit arma,
At furit in vestes pestis diffusa per artus.
Quod superest in stagna ruit, fossámque patentem;
Si flammam extinguant vndæ, potæque favillas

Conficiant,

Conficiant, ignésque necet moriturus in vndis.
Sed neque naufragio flammam premit; illa fluentis
Incrementa rapit, fluctúque atrocior vrit.
Quin stagnum rogus arripuit, Nymphæque flagrantem
Persensere luem; frigúsque in fontibus vstum est.
Tùm demùm in Superos Aster, summúmque Tonantem
Execranda vomit; flammas vndásque lacessit;
Quódque super vitæ est, horrenda in crimina donat,
Indulgens morti rabiem, dirúmque furorem;
Donec inexhaustus sceleri, geminantibus vndis
Funera partitur; letum, vitámque scelestam
Fluctibus & flammis tradit; fugit illa sub Orcum.
Et socios flammæ involvunt; contagia latè
Sparguntur; nocet auxilio iuvisse cadentes.
Ergo omnis trepidare cohors: huc ferre solutam
Atque illuc aciem; si quà ignis flammula vibrat
Diffugere, & timidis nimium comparcere telis.

XIV.

Dracutes ab ignibus tectus.

VNus in Ætnæam fornacem impunè Dracutes
Proruit, & pavidos forti sic increpat ore.
Quid fugitis miseri? telorum, animíque prioris
Immemores? tanti est vanis incurrere flammis?
At fugiunt illæ impavidos, timidósque sequuntur.
Respicite, & mecum vestigia vertite, cedent
Vanescéntque rogi. Quin mox incendia nostra
Inferimus, versísque rogis evertimus vrbem?
Sic ait; inqúe vnum collimant ignea tela,
Croianísque vnus scopus est. Vocat ecce maniplum
Tartareum Astartes, tædísque voracibus obstat;
Bellantem tegit orbe cauo, quem fuderat igni
Horrendo Cyclops Stygius, domitúmque palude
Cocyti, in flammas humanáque tela ferebat
Libavere rogi clypeum; simul excidit omnis
Impetus, & vanas flammæ crepuere sub auras.
Æthere & infusi comites incendia difflant,

Reſtingúntque focos; quanquàm cruciantibus intus
Vruntur, flammáſque ſuas in ſecula paſcunt.
Inſtaurati animi; rurſum omnis turba Dracutem
Conſequitur, telíſque vrget, properátque ſubire.

XV.

Saxa in Turcas provoluta.

CRoiani noua tela parant, ingentia muris
Provolvunt ſaxa, & moles ſuper agmina fundunt.
Ædibus euulſum marmor, pariáſque columnas
Porticibus raptas, tumulorum immania clauſtra,
Atriáque evolvunt; hoſtes patuere ruinæ,
Traxítque immenſum protrita cadauera pondus.
Adſtabat rupes; divulſum culmen Olympo
Dixeris, aut ruptum Tauri de vertice fragmen;
Exturbare loco aggreſſi, propellere muro
Cymodoon Caunúſque ardent, ſævúmque Dracutem
Sternere, & impoſito rabiem contundere monte
En rupes avulſa ruit, clivóque ruinam
Præcipitat; vaſto ſonitu circùm tonat æther.
Exclamant Turcæ; nec enim impendentia fata
Effugiant; tanta eſt moles, ſic impete fertur.
At contra audaci tendit veſtigia greſſu
Bulgarus, & montem monti componere tentat;
In rupem ſcutum opponit, totóque reſiſtit
Corpore, & in molem ferrato pectore pugnat.
Mirum, ſeu vires hominis, ſeu robur Averni,
Aſtartéſque latens; hærere immobile ſaxum
Viſitur, ingenti gemuit ſub pondere terra.
Exclamant iterum Turcæ, plausúque ſonanti
Increpitant, lætáſque vehunt ad ſydera voces.

XVI.

Dracutes victor, murum inscendit.

IS Turcis postremus obex; per saxa Dracutes
Emicat, Croiam sublimis ab aggere spectat.
Stant propius comites, Ibranus, & integra pubes
Militum, & obiecto latam implent pectore labem.
Bulgarus insultat verbis. Tandem irrita claustra
Fregimus; en lepores inuenta cubilia monstrant,
Nunc opus est ferro; nec vos vel saxa vel ignes
Morte tegent; opus est ferrum contendere ferro.
Hæc vbi dicta; ruit præceps. Fugite obuia turba,
Heu miseri, & clauæ properantia tollite fata.
Callicles tamen it primus, crispátque sarissam,
Et quà barbarico moles se pectore pandit,
Ictum infert, potuítque gradum tardare ruentis;
Illam ictus frangit, sævum impulit ira Dracutem;
Tum clavam attollit, frustráque opponere tegmen
Conantem clypei, cæsum Calliclea sternit;
Per scutum galeámque imum scrutata cerebrum:
Claua rubet; tabum latè dispergitur albens.
Barbarus hinc furit in mediis, turbámque prementem
Disjicit, ingentes cumulátque sub arbore clades.

XVII.

Cauni vulnus.

NEc tenuit te Caune timor, teneræqúe iuventæ
Sanguine pubescens ætas, aut robur iniquum,
Quin ruere, & certæ auderes occurrere morti.
Impatiens laudum Iuvenis, cladísque patratæ,
Non hastas, non tela vibrat; sed proximus ense
Imminet, intentátque audax in vulnera ferrum.
Nec frustra; in peltam mucro primúmque lacertum
Mittitur, & Turcæ primo se sanguine tingit;
Gutta fluit, vestit peltæ se fragmine tellus.

Vt parmam infractam; nec enim leve vulnus ob iram
Senſerat; in læva inſpexit: felicibus, inquit,
Auguriis; quid ſcuto egeo? num me mea virtus
Vna teget? ſed nec ferro mitteris ad vmbras
Tartareas; hæc te tua Laus & Gloria mactet.
Sic ait, & fragmen peltæ detorquet in ora.
Ærata ingemuit galea; ingentique ſub ictu
Caune ruis, craſsúmque vomis patulo ore cruorem.

XVIII.

Dracutis amor.

STat procul Irene flavo ſpectabilis arcu,
Incendítque aciem; necdum torquere ſagittam
Auſa, nec hoſtiles nervo turbare phalanges.
Vt vidit Caunum, & miſero impendere Dracutem
Albani memor, arma movet; paucíſque precatur
Aligerum comitem, certo ſua dirigat ictu
Spicula, & immanem Iudita Holofernea ſternat
Extemplò emiſsâ ſonat actus arundine nervus;
Effugit hæc ſtridens, & quà galea ima Dracutis
Ora tegit, ferrum libat: mox impete caſſo
Excidit; ad tantum vulnus nimis impare dextrâ.
Nec tamen illa trucem latuit; circùm horrida volvit
Lumina, & incluſum fulmen de caſſide vibrat.
Ecce iterum telo appetitur, galeámque ſagitta
Verberat, & chalybem ſonitu perceſſit inani.
Tum fremere, & magnas irarum evolvere moles;
Irenen ſimul aſpexit. Nervo illa ſagittam
Aptabat, feſtina mori, ni vulnera ferret:
Quanquàm aliis vincet telis. Vt Barbarus hæſit
Virginis in vultu, ſpeciémque improvidus hauſit,
(Et pudor inſolito ſuffuderat ora rubore)
Continuò bellum ponit, cæcúmque furorem;
Solvitur innatum frigus, ferrúmque liqueſcit
Pectoris, & ſubitæ penetrant in viſcera flammæ;
In venas iam repit Amor. Ferit ecce ſtupentem
Tertia iam cornus, tenerum nec turbat amorem.
Quin ille armorum, Cauníque, & laudis, & iræ

Immemor

Immemor, ingemuit. Quid me tua tela lacessunt?
Num satis est percelli oculis? depone sagittas,
Vicisti, ferit cor immedicabile vulnus.

XIX.

Cymodoon Saucius.

Barbarus hæc animo. Sed non hæsere phalanges
Christiadûm; telis gladiisque ferocibus vrgent.
Ille stat immotus, séque ipso hostilia pellens
Spicula, in adverso ut lapidus defigitur ore;
Inqúe oculos mens tota fluit. Tandem illa furorem
Suscitat, & primam rabiem confundit amori.
Virginis inspirat raptum malesuada voluptas,
Impurique ignes; ruit hic quò letifer ardor
Exagitat, pellitque furens spissa agmina ferro.
Non aliter stabulans altis sub montibus vrsus,
Quem somno glacialis hyems, pigróque veterno
Obruit, & cæco innocuum religavit in antro;
Venantum si turba ruit, ferróque iacentem
Vulnerat; abrumpens ignavi vincula somni
Terribilis surgit, venantúmque agmina frendens
Disjicit, egelidásque nives cum sanguine miscet.
Vnus Cymodoon, callens quid barbara volvant
Consilia, Irenæ metuens, (nam quæ abdita purus
Non evolvat amor?) Murtazan vulnere stratum
Deserit, & magnum properat contendere in hostem.
Dextera nec lenta est; verso ferit ense Dracutem;
Lævo humero iam vulnus hiat, chalybémque cruentat
Barbaricus sanguis, calidúsque in pectora manat.
Bulgarus infrendet, clavâque insurgit in ictum,
Quo saxa & cautes prædurâque marmora frangat.
Declinat Iuvenis, subitóque obnoxia leto
Membra rapit, séque ipse neci furatur apertæ.
Barbarus instat atrox; nec iam velocior ala
Profuerit, celerésve Euri sub membra refusi,
Quin claua excipiat Iuvenem, mittátque sub vmbras.
Tandem intercipitur; clavâ stringente patentes
Annectunt quà dorsum humeri; luxata repentè
Ossa gemunt, Iuvenisque miser procumbit in ora

X X.

Tempestas cœlitus immissa.

HÆc dum Turca pattat, muros dum ſtragibus opplet,
Chriſtipara Empyreo Croiam ſpectabat Olympo;
Et caſus ſortémque gravem miſerata, Georgum
Alloquitur. Vincunt hoſtes, promptæqúe ruinæ
Vrbs patet, vrbs commiſſa tibi; paterſque cohortes
Tartareas templis ariſque incendia ferre
Tu quondam bello egtegius; clarúſque triumphis
Quin agis, & tecum ventos diráſque procellas
Auxilio rapis, & cives vrbémque tueris?
Dixerat. Extemplò nimbos ventóſque Georgus
Euocat, & ſævis ſe tempeſtatibus armat.
Aëra contexunt tetrâ caligine nimbi,
Et fœdant lucem tenebris, noctémque profundam
Suffundunt iubari; ſimul ingens oſſa ſub ima
It pauor, & ſubito riguerunt frigore nervi.
Diuerſi occaſu ſurgunt, flatúſque furentes
Præcipitant, ſævo miſcens ſe turbine Caurus,
Grandineóſque vehens imbres; & nubibus atris
Africus erumpens, & cæco fulmine prægnans
In Turcas ſeſe excutiunt, rapidóque ſonori
Mugitu, arma vetant, greſsúmque; ínque ora recepti
Vitalem offocant auram & ſpiracula ſtipant.
Tum nimbi tela euolvunt; grando horrida nimbis
Funditur, & rapidis ventorum afflantibus alis
Ora ferit, tendítque oculos, ſaxíſque globoſis
Perfringit galeas, & tectos vulnerat artus.
Fulguribus coelum omne micat, fremuere tumultu
Nubila, fulmineo dirum eluctantia partu,
Intentántque necem horrendam, telúmque triſulcum.
His monſtris Turcæ expulſi; déque aggere rapti
Plana terunt, telis campi clypeíſque reſulgent.

Vnus

XXI.

Dracutes tempestate pellitur

VNus in insana stat tempestate Dracutes,
Luctantésque premit ventos, lapidosáque frangit
Spicula nimborum, & reboantia fulmina ridet.
Ardentes Croiani instant; vestigia figit
Intrepidus, gressûqne hæret, claváque minatur.
Tum demum Cauri flamen subeunte Georgo,
Atque imbres armante polo, iam viribus impar
Pellitur, & muris amens abscedit ab altis:
Nec tamen obvertit terga, aut ruit impete raptus:
Sed sensim, & multo in ventos conamine luctans,
Execránsque Deum verbis, fulménque lacessens:
Debueratque peti: nisi perfida victima fulmen
Albani maneat: dabit hoc sub vindice pœnas.
Quin & Amuratem deturbavere procellæ,
Et castris fecere metum: tentoria venti
Dejiciunt, fulcra abrumpunt, funésque resolvunt:
Derepta obscuro volitant holoserica cœlo,
Poma ruunt: lugent Astro vexilla bicorni
Orbata & sævi confundunt omnia Cauri.
Tum fœdi exundant imbres, campósque patentes
Exsuperant, noctémque augent, cæcúmque tumultum.
Gemmæ hærent cœno: lutulentum euolvitur aurum,
Fluctibus irrumpunt vndæ, gasásque latentes
Corripiunt, Regúmque opibus sua flumina ditant.
Hæc inter nox vera ruit, terrísque tenebras
Intulit, & lucem peplo subduxit ab astris.

XXII.

Mors Cymodoontis.

AT non Croiani molli indulsere sopori:
Invigilant, labémque implent, læsísque medentur.
Zunites quamquàm paucis sint integra plagæ

Corpora

Quid moror, Irene, & properantia funera perdo?
Vnam te colui, vnam te sincerus amavi:
Verbo parce: nec ardores aluisse pudicos
Pœnitet, aut tacitis depasci viscera flammis.
Nam tibi qui morior, tibi qui servare salutem
Morte mea potui, nunc felicissima fata
Experior miserósque dies iam morte beatus,
Immuto: sortem optatam dabit Vrna sepulcro.
CASTRIOTVS vivat coniux tibi, dum tibi felix
Cymodoon moritur, téque in connubia mittit.
Sat mihi sic potuisse mori. Simul opprimit ora
Deliquium, & vocem mortis præclusit imago.
Irene pingente genas suffusa rubore,
Rorantes oculos spectantibus occulit, alto
Pectore constringens gemitum, tristémque dolorem,
Tum Perylo tradit morientem, animæque salutem
Insinuat mystæ: suspectáque tecta relinquens:
Mox sola ingemuit tutò, fletúmque profudit.

XXIII.

Dracutis oratio.

NEc piger in castris terit otia lenta Dracutes:
Tempestas vt cessit atrox, posuítque tumultus:
Sultano sic verba facit. Transmittere noctem
Hanc possum in castris? etiam stant mœnia Croiæ,
Et vivo? necdum Magicas evado per artes?
Sed redeo: contra ventorum obstantia pugnent
Agmina, grandinei fundant se nubibus imbres,
Ipse Tonans tela intentet, repetitáque vibret:
Aut vincam, aut moriar. Nec me Deus ire vetabit
Si tamen est, Croiámque alta tumulare ruina.
Sultanus rabiem placat, spondétque sub ortum
Auroræ, totis rediturum in mœnia turmis.

Cassandi

Haudquàquam tamen in Regis se luminafundit :
Expellit dolor excrucians, angórque futuri.
Postquam animo multa evolvit : tum denique verbo
Christiparam appellat, precibúsque fatigat amantem.
Alma Parens, semper miserorum obnoxia votis,
Hem quid ago, quídve instituo ? sed enim tua iussa
Me regno emittunt, peregrináque littora cogunt
Quærere, & externis spem rerum imponere fulcris.
Christiadum interea pestis, dirúsque Tyrannus
Vastat agros, cumulat strages, atque eruit vrbes
Impune, & sedem Imperij iam iámque revellit.
At si me contrà inferrem, regnúmque tuerer,
Forsan Spitigradæ incolumis nunc mœnia starent,
Memnona nec fatum raperet : nec funera cives
Obruerent, tótque insontes Libitina necaret.
Sin occumbendum fuerat, mortíque litandum,
Primus ego peterem Manes, si corpore toto
Fortè meos tegerem, letúmque auertere possem.
Pulcrè etenim, laudémque implens, nec inultus obire
Quid nunc Albani dicant, civésque relicti ?
Dum ferrum, hostilem rabiem, letúmque subimus,
Navigat hic tutus pelago, securáque captat
Otia : sic regno pugnat, regnúmque tuetur ?
Ipsi hostes fugisse putent, & vertere terga,
Cùm frontem optarent, ferrúmque lacessere ferro.
Non queror, ô Mater ; iuvat audivisse iubentem,
Imperiis iuvat ire tuis : quæ fata supersunt,
Ipsa rege, & sanctus rerum quæ destinat ordo.
Vnum oro, si letum instat, da fundere vitam
Tela inter, sævúmque hostem contundere morte.
Orabat : placidúsque rigat iam pectora somnus.

XXVI.

Rex Croiam delatus.

Aliger interea (Superûm Regina iubebat)
Circumdat sopitum armis, laterique nitentem
Ensem aptat, læuæ clypei connectit habenas,

Et

Et galeam capiti insinuat; simul æthere formam
Compingit Regi similem, stratísque reponit.
Mox ipsum adstrictum somno, per nubila celsa
Deuehit, & cursu volucres prætervolat Euros.
Nec mora: devectum Croiæ super aggere sistit.
Et iam multa dies orbem retegebat Olympo,
Frænáque quadrijugis permiserat aurea Titan.
Incumbunt Turcæ in muros, stipántque ruinam
Innumeri, superant fossam, vallóque minantur.
Primus vt è fossa, saxa inter & ignea tela
Bulgarus emicuit, vallóque interritus hæsit,
Evulsæ subitò sudes atque agger inermis,
Immissúsque hostis. Murtaza, Ibranus, Hydrantor,
Turgutúsque volant, séque inter mœnia fundunt.
Tum Regi excussus somnus, resolutáque nubes.
Vt vigili patuere hostes, patuítque ruinam
Croia trahens, victórque furens; stragésque suorum
Séque ipse agnovit; nec somnia ludere vana;
Qualiter Hyrcano fœtum modò enixa sub antro,
Dum pastu festina redit, tepidúmque cruorem
Allambit Tygris, sperátque sub vbere natos
Si fusos antro Armenios turbámque rapacem
Improvisa videt, venantúmque agmina partum
Diripere; insanis cæcata furoribus ardet,
Raptorésque rapit. Sic iram Albane tumentem
Effundis, téque obiectas tot milibus vnum.

XXVII.

Rex Turcas cadit

VIctima prima cadit Turgutus, & ilibus ensem.
Excipit, & vasto premit ingens pondere terram.
Proxima quæque metit ferrum, densámque phalangem
Explicat, accumulátque ictus, & funus acervat
Funere; membra iacent, lato fluit aggere sanguis.
Sic messor, flavæ Cereris præpinguia dona
Densatámque agris segetem, calamósque nitentes.
Curva falce secat; cumulo volvuntur aristæ.

Et sternunt campum invalidæ, sulcísque redundant.
Ibranus stragem intuitus, fusásque cohortes,
Dereptámque manu palmam; vestigia vertit,
Et Regem aggreditur: celeri ruit impete ferrum,
Loricámque petit; scuto sed inane resultat.
Protinus Albanus mucronem impingit in arma;
Per clypeum hic, per thoracem, ferríque latebras
Hamatúmque sagum, iecoris se condit in alti
Tegmina, purpureóque ingens se proluit imbre:
Erumpit cruor in rivum, vitámque fugacem
Præcipitat, tectísque animam de fontibus haurit.
Ibranus super arma ruit. Turca ictibus horret,
Croianúsque stupet; demissum hic credit Olympo
Mortali specie Aligerum, ferróque latere.

XXVIII.

Rex à Croianis agnitus.

SEd Rex non patitur sua civibus ora recondi;
Expandit galeam, charósque in lumina vultus
Insinuat, cupidósque animos aspectibus implet.
Illi hærent, oculisque negant quod vota reposcunt
Hærentes Rex alloquitur. Charissima Regi
Pectora, fausta iuvant felicem Numina Croiam,
Is sum ego qui vestris toties solatia rebus
Auxiliúmque tuli; Deus hæc mihi septa tueri
Dat facilis; quò nos ducunt portenta, sequamur.
Cœlum magna parat. Quis non cœlo auspice vincet?
Dixerat. Vt mater, thalami quæ pignora, natum
Ereptum videt è tumulo, vitáque fruentem,
Irruit, & collum passis amplectitur vlnis,
Impos tota sui: gaudet sic pectore miles,
Amplexúmque petat Regis, ni se inferat ille
In medios hostes. Lætus ferit æthera clamor,
Et sequitur miles, Regis quò dextera ducit.
Fama volans implet totam rumoribus vrbem,
Regem adventasse, & Turcam depellere muris.
Irene antevolat, mendacémque anxia famam
Pertimet, & magnâ tacitum spe pascit amorem.

Nec

XXIX.

Dracutes Regi oppositus.

NEc subita immanem latuit fortuna Dracutem :
Stragibus ille instans, feliciáque arma sequutus,
Agmina Christiadum palantia deturbabat,
Pellebátque foro. Narrat perterritus Æmon,
SCENDEREM furere in muris, cædémque patrare.
Gaudeat hic doleátve, hæret : derepta dolorem
Palma movet : dignus sed gaudia suscitat hostis :
Inclinat gaudere animus. Duc protinus, inquit,
Quò mea se tandem virtus, & gloria pandat :
Iam tædet palmæ facilis ; nunc bella capessam.
Sic ait : & terga obvertit : procul impigra pilis
Turba premit, vanoque vrgens clamore fatigat.
Ora ille obvertit quoties : conterrita turba
Pila tenet, subitâque rigent formidine dextræ.
Sic infert sese Albano. Simul incita parte
Diuersa Irene, neglecto splendida cultu
Accelerat, desiderio succensa ruborem.
Rex simul ac videt agnoscit ; pingebat amatam
Intus Amor, vivosducens sub pectore vultus,
Iamque ardet propius dextram & vestigia ferre :
Cùm procul inclamat tonitru reboante Dracutes :
Tandem ignave venis, captivam admissus in vrbem
Serius, & flammas circùm inspecturus ovantes :
Ni prius hæc te dextra necet. Sic barbarus infit :
Calliopúmque ferit clauâ. Cadit artubus ille
Protritis, ceu saxum ingens in membra ruisset.

XXX.

Dracutes casus, Turcæ expulsi.

TVm demùm Albanus formoso aversus ab ore,
Instaurat molem irarum, bellíque furorem,
Occurrítque vltrò properanti. Prima Dracutis

Dextra

Dextra furit, totáque ardens petit arbore Regem:
Declinat motu is celeri; ruit horrida moles,
Et fortè admotum cerebro fugiente Thimaëtem
Sternit humi; cruor in Regem saniésque redundat.
Tum sæuùm irridens. Præclarum ô, qui fugis, inquit,
Substituísque neci miserum; defendere Croiam
Sic iuuat; & quos tegis hos contradere leto?
Rex silet indignans, hosti solo ense loquutus;
Et læuo fert plagam humero; de vulnere sanguis
Ebullit, ruptósque dolor procurrit in artus.
Non aliter ventrem tenerámve proboscida læsus,
Sæuit atrox Elephas, totóque in corpore frendet,
Inflammans rabiem; tardam mouet vltio molem.
Barbarus instaurat vires, clauámque capacem
Irarum ambabus rapiens in funera palmis,
In caput oppositum torquet; nec fulminis ignis
Ocyor, aut grauius montis de vertice saxum.
Erigit Albanus scutum, corpúsque furenti
Subripit, extremum moles sed ferrea tegmen
Præterlapsa ferit; gemuit sub pondere parma,
Et galeæ abiecit cristas, summámque coronam
Diripuit; pompæ capitis sternuntur arenâ.
Rex ipse attonitus quatitur, pedibúsque vacillat
Ambiguis, subitáque oculos caligine mergit.
At mox se reuocans, vindictam acuénsque pudore,
Auersum intorquet chalybem: clauam obiicit hostis
Hactenus illæsam ferro, sed lubricus ensis
Hæret in extrema, palmæ digitósque priores
Demetit, & clauam simul ad radiçe recidit.
Illa solo iacet. At pugnâ non cessat inermis
Bulgarus; in Regem superest quod inutile fragmen
Vibrat, & infensum fabricat de vulnere telum.
Nec satis ardenti; gladium, qui fortè propinquus,
Eripit Acmonti læuâ, Regíque coruscus
Incubat, & prompto ruit in noua vulnera ferro.
At Rex; qualis aper, præceps quem dente molossus
Exagitat, laterique hæret, morsúque fatigat;
Postquam sæua diu discussit prælia rostro,
Et denti dentem opposuit; tandem impos in iras

F Soluitur,

Soluitur,& curuam demergit in ilia Sicam.
Non aliter iactatum ensem Rex ense retundit,
Infringítque aciem, donec pigra vincula pugnæ
Ense soluturus, mucrone incumbit in hostem,
Armatúmque premit pectus; per ahenea texta
Transilit hic, cordisque fibras sub pectore lato
Perfodit; & longo dorsum transuerberat ictu.
Sternitur extemplò frendens super ora Dracutes,
Et portis animam geminis cum sanguine fundit.
Illam Orcus rapit in flammas; exanguia terrâ
Membra iacent; longúmque mouent spectata timorem;
Croiani irruere, & Turcas demittere leto.

XXXI.

Rex Aulonem refertur.

IAmque agger vacuus, iam Rex noua bella parabat;
Cùm subitò inuoluit nubes oculísque suorum
Præripit, & sacrum infundit sub membra soporem.
Aliger hæc. (Nec adhuc soluendæ tempora Croiæ,)
Dein Aulona refert sopitum; armisque reuinctum
Deponit thalamo,& tenuem vanescit in auram.
Croiani mirantur opem,cœlóque fauenti
Portentum adscribunt; animos nouus incitat ignis;
Iámque nouas agitant palmas. Furtim ingemit vna
Irene,& sponsum speratáque gaudia luget.

Finis Libri tertij.

LIBER



LIBER QVARTVS.

ARGVMENTVM.

SCANDERBEGVS, nocturna impressione in CROIAM commeatum immittit.

SCANDERBEGI
LIBER QVARTVS.

I.

Magus Consultus.

POSTQVAM Turcarum stragem, letúmque Dracutis,
Accipit indignans Sultanus, fatáque votis
Aduersa incusat, durum execratus Olympum;
Orcanum vocat; & notam sic fatur ad aurem.
O quem Deruisij merito venerantur honore,
Qui sacros cultus, & sancti arcana Prophetæ
Mente capis; cui nec rerum se condit imago
Cæca futurarum, fatíque imperuius ordo;
Hoc erat, hoc ingens, quod Musulmana patraret
Gloria, quod totis excita potentia terris,
Vt per famam altam, per inania nomina pompæ,
Naufraga corrueret, spernendæ ad mœnia Croiæ?
Ille ego, qui totum signis victricibus orbem
Lustraui toties; qui fregi ad claustra Corynthi
Hexamilum, effosso patuit cui Græcia muro;
Ille ego nunc vinclis teneor. Sed vincula quæ me
Proh pudor! adstringunt! vrbs vna, vnúmque catastâ
Mancipium fugiens; quem vasti fluctibus amnes,
Nec montes tenuere iugis, nec dira procellis
Æquora, nec fusas reuocans Germania vires.
Artibus & pugnor Magicis. Nam quæ modò sæuit
Tempestas, seruátque hostem, num surgit ab Orco?
Et quis te muros inter super æthera ductum

Scanderbege tulit? quæ te inuexere quadrigæ?
Quámve indutus auem raperis pernicibus alis?
Te quanquam iuuat Inclusum, muríque reuinctum
Carcere; nec ludente fugâ lassabis inanem
Pòst Dominum; Téque atque vrbem pœna auferet vna.
Tu me; namque potes, penetrásque sub intima rerum,
Consiliis Orcane iuua; longéque premenda
Croia sit obsidio, rursum tentaenda vel armis;
Si vim dicta iubent; me nondum effœta senectus
Imminuit; superant robusto in corpore vires.
Ipse adero, pugnabo manu, ducam ipse phalanges,
Stagibus æquabo fossas, murísque meorum
Mortibus applicitus, ferro grassabor & igni.
Sic ait. Orcanus paucis hæc dicta reponit,
Non Dominum primæ cladis primíque laboris
Tædeat; ærumnis stat gloria. Nec metus artis
Inuadat Magicæ, fraudem constantia vincet,
Robúrque, atque potens Amuratus in ardua niti.
Et nos occultas artes, cœlíque tenemus
Consilium, & docti Superis intersumus Astris.
Et nunc sub lima speculum versatur edace,
Quod Regum seriem & fati mysteria pandat,
Rerum ingens idea, & magni compendia mundi.
Quod petis interea, solitam conuersus ad vndam,
Edoceor, referóque vrbi quæ fata minentur.

II.

Magi Hydromantia.

Dixerat. Obscuro condit se protinus antro.
Promítque artis opem. Nigra face cera relucet,
Sulphureis incincta globis; stat ahenea peluis;
Exundat de fonte liquor, labrúmque coronat.
Et verò Orcanus verba incantantia fundit,
Astartémque vocat. Nec voces ille moratur
Tartareas, vrbem dira depingit in vnda.
Culmina tectorum surgunt, fastigia densant
Spissa domos, turrésque inter se nubila condunt;

Marmora Templorum Crucibus signata refulgent,
Et superimposita tellurem mole fatigant;
Tum muri incingunt vrbem, pinnísque coruscant.
Spitigradam Magus agnoscit; miratur; & hæret
Tartara quid iubeant, quídue hæc spectacula signent.
En iterum voces Magico demutilat ore,
Agglomerátque minas, verbísque ferocibus instat.
Et subitò pestis media subnascitur vrbe?
Cuniculo Turcæ erumpunt, tectísque refusi
Terribilem stragem important; torrentibus vndis
Purpureo fluit amne cruor, correptáque flammis
Tecta ruunt, latámque vrbem Vulcanus oberrat.
Inueni, Magus exclamat; iam sidera monstrant
Fata vrbis, pandítque viam Spitigrada Croiæ.
Quid moror? Hinc Domino certæ fert nuntia cladis;
Designátque viam; renouet si calidus artes,
Subter humum penetrans, tutóque infossa receptu
Arma tegat, victórque latens prorumpat in auras.
At quando lenta obsidio, & victoria longè est;
Præcingat castra, & vallo procul arceat hostem.

III.

Cuniculi comparati.

Imperat illa Magus. Sultanus pauca reponit.
Quamquam animus pugnat contra, mediósque per ignes
Ire ardet, præcépsque negat lenta otia dextra;
Obsequor. At pressas quantus furor exeret iras,
Quos stimulos mora parua dabit! mox aggere claudi
Castra iubet, figíque grauis munimina valli.
Sabatio cura incumbit. Longo ordine fossa
Ducitur, & latos variis anfractibus agros
Interfusa secat, viridanti è cespite murus
Surgit & herbósi lapidescit glutine succi;
Castella erumpunt, cinctámque tegentia fossam
Inuigilant; lato spissatur machina vallo,
Accumulántque globos operæ, ferratáque tela.
Vt vallo satis impensum est studiíque laborísque;

Et

Et mora Sultanum cruciat; vocat ille furoris
Sarcanum impatiens, ſubitíſque hunc vocibus vrget.
Nunc nunc terram aperi, nunc perfode viſcera terræ
Hoſtilis, doctámque artem fraudéſque retexe;
Vrbi infer cladem, per ſaxa, per interualla
Caucaſea, & cæcas rupes, ſcopulóſque minantes.
Experiar quos Aſtra fouent, ventíque tuentur,
Tartara num foueant; Phlegetontem oponere cœlo
Sic iuuat, & viuos tumulis deducere manes.

IV.

Timotheus dubium ſoluit.

SEd non ALBANVM nexus vinxere ſoporis;
Soluitur, & mollem ſpondam ſtupet, arctáque ſomni
Inſtrumenta; recens pugnæ quò deſinat ardor;
Somniáque eſſe putet, modò quæ patrauit in hoſtem.
Ludor, ait, pugnam fallax an pingit imago?
Et ſomnus mihi Croia fuit? Sed enim ictibus arma
Perfracta, & multo gladius ſe ſanguine tinxit.
At nulli hic hoſtes, nulli quibus vnda cruoris
Fluxerit; aut membris actum qui ceperit enſem.
Monſtra hæc ſolue Deus, ſomníque euolue latebras.
Interea ſtupuere Duces, tam longa ſoporis
Otia; quis vigiles Morpheus aſtrinxerit artus;
Et iam ſublimem Sol irradiabat Olympum.
Ecce ſacer cultu Superûm, venerabilis æuo
Timotheus properat, penetrátque ad limina Regis;
Turba Ducum ſimul incedit. Tum prodere Myſta
Arcana ignotæ pugnæ, (ſibi ſingula namque
Chriſtipara exhibuit) iuſſi myſteria ſomni,
Ereptam ferro Croiam, letúmque Dracutis.
Quin animos facere, & certam portendere palmam.
Rex iuſſum in montem veniat: munimine firmo
Andragathum poſuiſſe Arcem, validáſque cohortes
Legiſſe, & magni ſtatuiſſe exordia belli.
Imò, inquit, tibi Virgo parens famulantia præſtat
Sydera, & Angelicas vocat in tua prælia turmas.
Nunc ſequere, & iuſſis præbe cœleſtibus aurem.

Rex grates Superis fundit, Matríque Tonantis,
Séque impler cœlo & magnis se comparat orsis.
Tum iubet ad montem Venetas prodire phalanges;
Timoleon præmonstret iter; postremáque claudat
Agmina Bragadinus; Martémque & prælia vitent.
Ipse, inquit; castra inspiciam, testésque vocabo
Consiliis oculos, versabor in aggere tutus,
Pars olim, & Turcos doctus confingere mores.
Bragadinus frustra precibus votísque perurget,
Se socium admittat, simul inque pericula ducat;
Festinant turmæ, & iussus vestigia claudit.

V.

Bragadini pugna cum Charato.

QVà via tuta patet, celsísque per ardua squallet
Montibus, incedunt; procul hostis, & æquora longè
Camporum, & pugnæ terror, faciésque pericli.
At nihil est tutum nihil inuiolabile bello.
Vastabat montes Charatus, captiuáque venas
Corpora, raptabat mapalia rustica prædam.
Discludunt geminos colles sub valle profunda
Præcipites torrentis aquæ; iamque agmina ducens
Timoleon, transmisit aquas, collémque fatigat.
Bragadinus tegit extremos. Rapit ecce phalangem
Virgultis Charatus, Venetúmque inuoluere tentat.
Ilicet impauidus bis denos vertere frontem
Bragadinus iubet; ad montem conscendere turmam,
Accelerare viam, motáque absistere pugna.
Mox hostes volat in medios. Transuerberat hastâ
Musulamum, Choriúmque, & Ityn; fortémque Reâlcem;
Infringitque hastam: socios simul abripit ardor,
Effunduntur equi; bis deni occumbere leto
Turciadum aduerso percussi pectora ferro.
Bragadinus tunc ense minax; super æquora dicit,
Nota mihi virtus, Comites, nunc laurea terræ.
Nos manet est idem victor, qui vincitur idem est;

Obsi

Obfirmate animos; virtus numerum ardua nefcit.
Dixit; & in Corami penetralibus abdidit enfem,
Nexmúque abrumpit vitæ, donatque fepufchro.
Obuia quæque metit. Sed non Acomate moraris,
Chriftiadum fpoliis diues, quæ plurima victis
Rapta tenes; quamquam prima lanugine malas
Induis, & corpus tenero fe germine fundit.
In Venetum ferro inuehitur, galeámque micantem
Percutit; excutitur Cygnus candente metallo
Confpicuus, lapsántque alto de vertice criftæ;
Quin caput inflexum eft, contactaque pectora mento.
Exurgens Venetus, Turco irrepatabile vulnus
Deftinat, hic celeris fubitus conuertit habenas
Quadrupedis, fallítque enfem; læuúfque repente
Qui modò dexter erat, rapido fe fulgure prodit;
Et nifi fulmineum clypei defringeret orbis,
Plagam humero ratam intulerat; veftigia ferri
Scuto hærent; magnóque chalyps fe vulnere pandit.
Tum vero infenfus Veneto furor? ocyor alis
Fulminis incumbit, Turcámque aggreffus ouantem
Dum reflectit equum, coftarum peruia texta
Tranfadigit, cordífque fibras rimatur opertas.
Infelix Amurate ruis; nec mollior ætas,
Aut lauri agreftæ; rapiant tua funera Parcis,
Implicitum quin te fonipes, vitáque caducum,
Raptet agris, fpargat faxis & florida membra.

VI.

Nouum Bragadini periculum.

ETiam Bragadinus ferro proftrauerat agmen;
Vrgebátque fugam. Charato noua turma vocante
Nafcitur, & denfis ruit in noua prælia telis.
Ductor agit Charatus, gyróque infunditur hofti
Exterior, Venetúmque intus fpiffo agmine claudit.
Arcubus extemplò volucris prorumpit arundo;
Agglomeratque neces morientum, & funera ftipat
Bis feni occumbunt Veneti; Morofine fagitta,
Per galeam cerebrum fcrutante & tempora cana.

Sterneris, & victor pelago das funera terræ.
Sæua Ducem grando inuasit, circúmque volando
Intonuit, clypeíque horrens vmbone pependit;
Tum Charatus, dignum obseruans quem vinceret hostem,
Miles, ait, cede, & vacuam mihi desere palmam;
Nec vulgi hoc opus est; manet hanc victoria dextram.
Stat miles, parcitque armis. Rapit impetus vnus
Oppositos, geminíque duces concurrere certant.
Sed telis Veneti sonipes, & arundine fixus
Letali, occumbit; sternunt ingentia latum
Membra solum, nigri exundant per vulnera fluctus,
Emicat explicitus loris, vinclísque cadentis
Bragadinus, fixóque gradu iam calcat arenam.
At non substinuit Charatus ruere impare pugna,
(Nam sua barbaricas inspirat gloria mentes,
Estque suus virtutis amor) telúmque, manúmque,
Atque animum frænat, placidúsque his vocibus infit.
O qui magnanimo coquis altas pectore flamas,
Quique meo fortis damno es; satis hactenus ardor
Martius, & morti pugnax sat dextra litauit.
Alea nunc versa est, nunc sors inimica repugnat,
Fortunam sequere, & gladium permitte petenti;
Vis fortem trahit, & nulla est temeraria virtus.

VII.

Ignoti aduentus.

DVm Turca hæc fatur; Venetus dum colligit iras;
Ecce recens bellator adest spissámque phalangem
Impetit, & rutilo iam strauit Iturea ferro,
Iam Cromylum, & dextro truncauit Aleta lacerto:
Et procul exclamat. Quæ vos ignauia? dignum
Id facinus? laus est, si tot modò cingitis vnum?
En quod vincatis. Simul alto vulnere Pirrum
Perfodit, & media rutilans exultat arena.
Argento lorica nitet, nitet ærea cassis,
Et clypei lata ora nitet; nam cærulus vmbo
Lilia Dalmatico pingit radiata metallo.
Mollis apex vmbrat galeam candente refusus

Luxurie;

Luxurie, ſplendet ſonipes, niuibúſque coruſcis
Purior, ad motas facilem ſe flectit habenas.
Hinc Charatum nouus ardor agit; qualiſque leonem
Ira coquit, laceri madidum iam ſanguine tauri,
Cùm nouus exurgit, certéque incumbere prædæ
Et vetat, & pugnam rigida ceruice minatur;
Ore leo fremit indignans, & verbere caudæ.
Sic pugnam immutat Charatus, nec ſe eripit enſi
Ignoto, ortémque animum certamine profert.
Etiam Bragadinus, comitum enitente caterua,
Inſcendebat equum, Turcum fuſúſque per agmen
Corpora mactabat leto: timor occupat hoſtem,
Inque fugam rapit; vnus amor ſtuduiſſe ſaluti.
Et Charatum Ignotus terno iam vulnere foſſum
Vrgebat, ferrique aciem ſuper ora ferebat,
Ora, genas, oculóſque atro fœdante cruore.
Lumina conuertit Venetus, ſortémque miſertus
Virtuti infenſam; Parce, ô fortiſſime, dixit,
Hanc animam concede precor; nec dignior vlla
Seruari, ſi conſequitur ſua præmia virtus.
Tum ferro ſcutum oppoſuit; Libitina pependit
Aëre, & in ventos telum detorſit inane.
Vincatur officio Charatus; nec iam amplius ardor
Pugnandi, aut mortis ſupereſt incenſa voluntas.
En viciſtis, ait, ferróque animóque ſubactum
Ducite; chara ſalus veſtis qua debita donis.
Et ſimul ignoto gladium, Venetóque lacertos
Donat in amplexus & ſe victoribus addit.

VIII.

Caſtriotus ad caſtra Turcica.

HAudquaquam Albanus ceſſans Aulone moratur:
Mutatus veſte in Turcam, circúmque volutus
Lintea denſa caput (Mantu comitatur euntem
Armiger) accelerans ad caſtra hoſtilia tendit.
Et procul, vt ſummæ vidit faſtigia Croiæ,
Turritóſque apices; memor heu, quæ pignora muri
Includunt, caſtóſque rogos, ſponſámque relictam;

Irenen

Irenen animo, & flammæ vestigia pingens,
Ingemit, & gratum renouat sub corde dolorem.
Ergo mihi visa eriperis; per somnia tantùm
Te spectare datur; Fallacis imagine formæ
Visa peris, inuenta fugis, speculóque micanti
Pingeris, & vanæ præbes simulacra figuræ.
Nam quid non loqueris; cur non modò iungere dextras
Et voces licuit; cur non incendia verbo
Pandere, & abstrusas lingua depromere flammas?
Perciperem tibi quis sensus, nascentis amoris
Si quæ signa forent. Nam me quid inania pascunt?
Forsan nullus amor, nullus tibi pectoris æstus.
Nec flammæ causa est. Potui non visus amari?
Absens an potui tacitas penetrare medullas;
Et vidisti armis tectum, sæuúmque furore;
Egregias in amore faces! Saltem arma iuuarent,
Téque tot eriperem vitæ thalamíque periclis:
Nunc claudit carcer, nunc barbarus imminet atrox,
Duráque vincla parat; nec dum te carcere solui,
Vincula nec rupi, nec barbara colla subegi,
Ille ego qui Martem iacto, bellique triumphos?

IX.

Castra obseruat.

Hæc animo dum voluit amans, vestigia fossæ
Admouet, & vasti spectat munimina valli;
Circumequitat, lustrátque oculis, qua mœnia mole
Terrea consurgunt, spatium quod fossa recludat.
Aduertit, medium quà Sol conscendit in axem,
Neglectam valli curam, pigrúmque laborem.
Nempe hunc Cantamirus spreuit, fretúsque suorum
Robore, pro vallo erexit viuentia castra,
Ingentes hominum moles, animataque tela.
Tum Regem subit ira ferox, mentémque perurit.
Ergo impunè meis insederis impie terris?
Et patior; terrásque tuo non sanguine mersi?
Pro pudor huc palmæ recidunt, spoliisque trophæa

Grandia

Grandia barbaricis, nudataque Turcia castris;
Deseruit me fortè vigor? flos illæ iuuentæ
Marcuit, & subita vires pariere senecta?
Haudquaquam,& feruet iuuenili in pectore sanguis.
Impetus est Regi, simul hæc dum mente volutat,
Per fossas ruere, & vallum, ærataſque phalanges,
Seque vnum obiicere innumeris. Prudentia fræno
Sistit & arcanis Deus obluctatur habenis.
Hinc agrè auulsus,montem tenat, obuiaque arcis
Munimenta videt, lectasque ad bella cohortes.
Bragadinus captiuum offert; Iuuenemque salutis
Auctorem, & verbis pugnam gratissimus ornat.

X.

Ignotus Regi sistitur.

HAnc dum persequitur, fortem miratur ephœbum
ALBANVS, totúmque oculis & mente pererrat.
Bis duo lustra ætas, primæ sub flore iuuentæ
Induit, & tenero luce spectabilis æuo.
Pulcher in ore nitor, flauis offusa capillis
Cæsaries, oculorum ignis, membrísque venustum
Robur,& augusto splendens in corpore fulgor,
Spectantem adstringunt, Tum Rex, postquam ora repressit
Bragadinus,Iuuenem verbis compellat amicis.
O qui tanta meis præbes solatia rebus,
Qui cœlo demissus ades; quæ gratia constet
Tot meritis, quódue officium in tua dona rependam?
Sed quem te memorem? quænam est tibi patria tellus?
Quo studio Æmathiam; casúne, an mente parata,
Huc ades, Albanósque petis Spontaneus hospes?
Tum iuuenis; pulcro vultum pingente rubore.
Francia me genuit; curuat quà Sequana ripas,
Et Regum de stirpe sato, dedit æthere vesci,
Elricus nomen. Gestarum gloria rerum,
Nomen honórque tuus, Turcíque Albania victrix,
Me procul à patria, flentum procul ore parentum,
Adduxere,tui cupidum, tantóque magistro

Tironem

Tironem; tu bella doce, palmæque metendæ
Claram artem, & quà se facilis victoria donat.
Rex Iuuenem amplexu vincit. Quas non, ait, aures
Francia persuasit? Francis quæ nuda triumphis
Sit regio? Francas Nilus septemplice fluctu
Allambit palmas, allambit sæuus Orontes,
Euphratésque iugum passus, defluxit in æquor
Mœstus; & abducto timuit de littore Ganges.
Et Regum quàm clarus honos! tu sanguine cretus
Augusto, & tantos arcessis origine Reges!
Quàm stirpis dignus! mihi nunc victoria certa est,

XI.

Paratur nocturna impressio.

EXultans hæc Scenderes: Ducibúsvocatis
Mox aperit mentem, promítque has pectore voces.
Hostem lustraui propius, munimina vidi.
Perfringi possunt; portendunt sidera nobis
Nescio quid magnum, quod vota ingentia vincat.
Quid tardos mora lenta premit; Spitigrada luget,
Exprobrátque ignes, & inulta cadauera monstrat.
Croia vocat, natíque vocant, patrésque gementes,
Vxorúmque metus, thalamíque, & pignora sacra
Templorum, & Sanctis Numen quod considet aris.
Et patimur? dextrásque pigras nondum impetus egit?
Ergo vbi nox terras humente inuoluerit vmbra,
Et tenebris vbi clausa dies, somnóque sepultus
Turca sit; ite mihi comites, Regémque sequuti,
Ense viam facite, & mortem coniungite somno.
Sic ait. Instructæ noctem optauere phalanges,
Estque dies odio. Sed quæ importentur in vrbem
Timoleon parat; annonam, tela atque maniplos.

XII.

Effossi à Turcis cuniculi.

NEc minus inuigilans, nocturnas solibus horas
Iungit Amurates, operique ardentior instat,

Iam

Iam procul effosso sub terram fornice repunt
Antra procul, longáque via patuere cauernæ;
Latæ intus patuere domus, suspensáque tellus
Arcubus, ignorat sese; penetralibus imis
Admittitque diem, perfossáque viscera luget.
Non aliter Potosiacis vbi vena metallis
Turget, & arcanum condit procul æthere fœtum,
Ardet auarus Iber, astrorúmque immemor, orco
Incubat, insanúmque animum sub Tartara mittit:
Terra gemens fontes aperit, fletúque rigatur,
Incusátque vterum, & damnat felicia dona.
Sarcanus vigil vrget opus, doctúsque magistra
Pixide, & ad gelidos radio vertente Triones
Sub latebris cœlum inspectat; murisque propinquus
Imminet, & recto deducit tramite pestem.
Turba omnis terræ infoditur, tractátque ligonem
Dux passim & miles: Situlis ille extrahit vndam:
Corbibus hic exhaurit humum; Machometus honesto
Inficitur cœno, lutulentáque brachia iactat.
I miles, Sultanus ait; tibi terra lutúmque
Diuitias apperit; foditur tibi læta voluptas;
Hoc pueri Albanæque nurus sub fornice prostant.

XIII.

Rupes & cuniculos impedit.

SIc properanti, vrbem votis iam iamque prementi,
Ingens surgit obex; terræ intersusa medullis
Alta sedet rupes, scopulisque rigentibus horret.
Sarcanus ferro oppugnat, ferrum illa retundit
Durior, immotasque offert ad vulnera cautes,
Vulnera sed leuia, & primam libantia pellem.
Tum dextrâ læuáque ardens Sarcanus oberrat:
Si rupem proscindat humus, venasque rigentes
Temperet, aut saxis interfluat vnda solutis.
Rupibus indomitis latè circùm omnia squallent,
Radicésque altas terræ sub viscera condunt.
En iterum duram in rupem luctatur adactus
Malleus, assidui geminantur in ictibus ictus;

Con

Conteritur ferrum, ſaxum inuiolabile perſtat.
Vrget Amurates; Ergo vos ſaxa repellunt,
Quos non Oceanus, quos non immania clauſtra
Hexamili, vaſtóque tegens ſe Græcia muro?
Sed periit virtus, animos ſed degener hauſit
Mollities, formaque viri ſe femina condit.
Ite, gynæcæo ſeruæ. Tum verbere rupem
Tundit, & inuictum rabiem conſumit in hoſtem.
At poſtquam ferrum exhauſtum eſt, flammæque voraces
Incaſſum admotæ, nec aceto infracta tepenti
Darities, tentatque nouus fruſtra Annibal Alpes;
Tum vulgò pertæſum operæ, vacuíque laboris.
Vtque olim foſſor, ſæuo ſpectante Nerone,
Iſtmum deſeruit, ſtudio defeſſus inani,
Permiſitque ſibi naturam, elementaque prima.
Sic opere abſcedant Turcæ; vetat ire Tyrannus
Romano aſperior, ſaxiſque rebellibus inſtat.

XIV.

Machometi indignatio.

SEd non te Machomete, Pater, terrórque minarum
Continuit, quin damnares lenta otia verbis.
Huc, ait, huc animi, Muſulmanúmque poteſtas;
Mandemur viui vt tumulo; fortaſſe ſepulchra
Defuerint, caſſiſque animâ ſe terra negabit;
Manibus inferimur; propius iam diſtat Auernus,
Æthera ſpirandum facimus; ſecurior hoſtis
Dum ſupereſt, ridétque operam, ſtultúmque laborem,
Nempe valent dextræ bello, validique lacerti,
Vt fodiamus humum, turba atque ignobile vulgus?
Sic vicere patres atauique? his colla ſubegit
Victa modis Aſia? hæc pepererunt prælia lauros;
At modò non Croiam, ſed mœnia Byzantina
Debuit hæc vertiſſe manus: Quid tarda moratur
In ſcopulo, Saxumque ſcabit, perditque furorem?
Si rupem euelli, ſi ſaxa ingentia frangi
Aſtra iubent; quoniam Orcanus iam præſidet Aſtris;
En ſaxa, en Croiæ muri; vrbs inimica ſuperbit,

Et

Et tectis procul astra ferit: tellure sepulti
Nos fugimus, cochleæ imbelles, mucosáque tuba
Crebrius hæc Ducibus Machometus, pluráque fundit
Audax Cantamirus, seséque per agmina iactat.
Audit Amurates murmur, questúsque minaces:
Cantamirum, gnatúmque vocat; dein talia fatur.
Egregij bello! digni quos audiat orbis;
Tartarus, imbellisque puer. Temerarie bellum
Marte tuo regere hic ausis; stultóque furore;
Túque puer, Patri autor sis! cui pigrior ensis,
Vna cui pompa armorum, mollisque palæstra?
Quos ego si plectam meritos. Sed proxima pugna
Pœna sit; audaces vltrix Albania plectet.
Sic ait; indurátque animum, rupémque fatigat.

XV.

Nitratus puluis in cuniculo.

CVm noua Sarcano mens panditur, intima miscet
Consilia Astartes, totúmque infundit Auernum.
Qua propius fossis rupes patet ima cauernis,
Quaque ipsa admisit ferrum, laté omnia complet
Puluere sulphureo, pestémque in viscera trudit.
Commentum heu sæuum; cui nec Vesuuius ignes
Comparet, aut rapidos eructans. Ætna caminos.
Inuento Sarcanus ouat. Nunc rupibus, inquit,
Mollitiem domitis, vitreámque impingere sortem
Fas mihi sit; nunc Naturam, legésque Tonantis
Vertere, & in superos immittere Tartara possim.
Sum Deus ipse mihi; si quis Deus instruit orbem,
Destruo, & æternos momento exufflo labores.
Impius hæc. Niger exundat sub fornice puluis;
Intentus spectat miles, fœtúmque patenti
Clausum vtero, & prolem horrendam miratur, & hæret.
At quæ vox cladem horrificam, subitámque ruinam
Dixerit, & sæuo quassata elementa tumultu?
Dissiliunt campi, pelluntur in æthera siluæ,
Prat áque, & armentis compascua pluribus arua,

Torrentésque vndæ, cæmentáque fusa domorum.
Quin volucres peste implicitæ, celerémque volatum
Flamma intercepit, celsóque sub aëre mersit,
Ipse polo stupet attonitus, currúque vacillat,
Mœstóque ora tegit pallentia lumine Titan.
Et timuit Natura minus, Neptunius olim
Cùm furor abrumpit terras, iunctámque repellit
Trinacriam Italiâ, rapidóque interfluit æstu.
Turci etiam luis auctores; vbi perculit aures
Tartareus sonitus, pestísque excussa sub auras
Prodiit, & fulgur repetitum incendia vibrat;
Prostrati iacuere solo; mundíque reuulsam
Compagem periisse putant, orbémque solutum.
Nec metus est vanus; plures Libitina necauit
Dum volat, & miseros letalibus implicat alis.
Sarcanum sua pœna rapit, Phalarísque coronat
Artificem, donátque sua mercede Peryllum.
Ille super flammas, oculis, animóque paratas
Figitur, & subitas prono bibit ore fauillas,
Pestis tanta sitis. Quæ mox vbi claustra refregit,
Abripuit miserum, & sæuo cum turbine mistum
Præfocat, vellítque caput, truncátque lacertos;
Ipse locis iacet innumeris spargítque sepulchrum.
Musa nec Azamorem sileat; seruante procellâ
Quem rapuit; tantùm valet in mortalia casus.
Hic armis grauior, Corúmque Norúmque volatu
Vincit, & immensos metitur corpore tractus
Incolumis; donec medios delapsus in hostes,
Croiámque in mediam, dubitat, sors parcat an atrox
Sæuiat, & vitam in crudelia funera donet.
Attoniti Croiani adstant, lássantque stupentem
Quæsitis, missúmque polo sub vincula ducunt.
At non dira lues penetrauit in intima rupis,
Visceráque exhausit; stetit illa immota furori
Tartareo risitque minas, fregítque ruinam.
Aliger affigit terræ, cladémque furentem
Pellit in auctores, inimicáque tela refundit.

XVI.

Scanderbegi copiæ.

NOx cœca implicitum tenebris inuoluerat orbem.
Velabántque polum tenebræ; nec Cynthia lumen
Ore dabat terris, nec sidera luce nitebant.
Præcipiti cursu medio volat Auster ab axe;
Quà ruit, horrescunt sylux, quatit horridus auras
Sibilus, & strepero sonitum dant murmure valles,
ALBANVS Prodit, mandatáque prima retexit.
Ad dextram Elricus, læuus contendat in hostem
Bragadinus, Rex in medium; data tessera currat,
Linteolis galeæ niteant albentibus; adstet
Timoleon ponè, & Croiæ se seruet in vsus.
Tum paucis. Nox cæca fauet, fauet impetus Austri,
Vincimus; agnoscit sua mens præsagia. dixit;
Et cadentis equi stimulos super ilia iungit,
Africa quem genuit, volucrique per arua volatu
Imbuit, & celeres docuit transcurrere ventos.
Corbuto parcit Dominus, ne noctis opacæ
Sub tenebris, plagis pateat, telúmque receptet:
Noctem albus collustrat apex, candórque niualis
Funditur in galeam, & molli secat aëra fluxu.

XVII.

Rex primus in Castra irrumpit.

LVnáque iam medio currum voluebat Olympo,
Et terram sopor altus habet: cùm Tartarus haurit
Excubitor sonitum, signúmque interritus edit.
Continuò Albani fulgent in margine fossæ,
Pérque imbrem ferri subitum, densásque sagittas,
Virgultis fossam stipant, atque aggere iungunt.
Sed non Albanum tardant molimina pontis,
Quadrupedem impellit, saltúque per ardua vectus,
Fossam vltra vallúmque micat; solúsque tot hostes

Inuadit, telis ingens ſcopus omnibus vnus.
Elricus, Venetúſque ruunt, turmæque ſequuntur,
Et iam Rex plures victor mandauerat orco,
Sternebátque viam ferro; quò fulgurat enſis,
Mors ſæuit, Manéſque onerat, falcémque retundit.
Vtque per oppoſitas ponto ſtridente procellas,
Delphinus vada dira ſecat, curſúque per vndas
Inuehitur facili; fremit æquor, & incubat atrum
Fluctibus, & præceps cumulos deuoluit aquarum;
Piſcis frangit aquas, tempeſtatémque furentem
Diſcutit, & rapida fertur ſuper æquora pinna,
Non aliter Rex Albanus, tela inter & iram
Hoſtilem approperat, ferróque imperuia pandit.

XVIII.

Toxaris laborat pro filio.

TOxarin, audito fremitu, ſonitúque tubarum,
Vrit amor pugnæ, ſubitúmque immittit in hoſtem;
Nati ſiſtit amor, iuratáque verba maritæ.
Ille ſuper Tanaïs ripam, quà fuſa paludis
Æquora reſtagnant, amnem rapientia Ponto;
Bella inter, duráſque hyemes, liquefactus amore
Incaluit, tenerámque annis dilexit Odryſſam;
Vna in Tartaricis quæ formoſiſſima virgo.
Nec fugit illa tori leges, onerive iugali
Se rapit, ardore occulto ſuccenſa viciſſim.
Annus iit; caſtóſque toros fidóſque hymenæos.
Ornas nate puer, primúmque incendis amorem.
Picta in te lucet genitrix, ſic ora, oculíque,
Sic frons, atque genæ, & grati candoris imago.
Sed pater eſt intus; teneris latet ille medullis,
Mentem implet: calet in cunis iam Martius ignis:
Infans ad clypeum arrepit, palmáſque tenellas
Ferro aptat; ridet genitor, terretur Odryſſa.
Hinc puer aſpernans lepores, ceruóſque fugaces,
Figit apros; durúmque gelu atque immitia perfert.
Frigora, & inſequitur patrem iam paſſibus æquis.

Implebat

Implebat tria lustra puer, sic nomen Acharsis;
Tartaricas Machomete vocas in bella phalanges;
Toxaris exultat, sed Acharsis proximus ardet
Ire comes, votísque patrem precibúsque fatigat.
Annuit ille quidem; votis Odryssa repugnat;
Opponítque preces precibus. Simul ergo relictam
Proditis, & matrem vnanimes sponsámque necatis?
Alterutro caruisse fatis; quæ me simul orbam
Et viduam fortuna facit? coniúxque, paréńsque,
Neutra ero? diuidite, heu sæui? iacturaque matri
Vna sit, aut sponsæ. Belli si tanta cupido,
Alter eat. Notum expertus iam Toxari martem,
Quamquam ô! Sed si fata iubent, si gloria cogit,
I felix. Teneram quid matri abducere prolem,
Quídve animam auulsisse iuuat? charissime coniux,
Hoc te vnum, precibus nunquam frustrata, reposco,
Da te dimidium; tua me soletur imago
Absentem; castè mihi sit quod fas sit amari.
Et tu crude puer, matri olim chara voluptas,
Nunc dolor; ah poteris maternos spernere fletus,
Maternósque dies properare, & tradere leto?
Quid tibi cum bello? durum quid mollia membra
Ferrum agitant; venit illa dies, veniétque timenti,
Optato citius, cùm tu iam robore pleno
Arma feres, iustasque feres in prælia vires.
Hæc lacrymis perfusa parens; simul vda marito
Oscula & amplexus, gnatóque tenerrima figit
Luctanti, & fletus auersa effundit in ora.
Molliuere patrem lacrymæ; puer óque timebat
Ipse pater, vímque hanc adamat. Sed nate recusas,
Ejurasqúe lares, ingloriaque oscula matris.
Quin lacrymas super ipse tuas, tuaqúe oscula matri
Arma moues, precibúsque instas; non tela capessam,
Non gladium; spectator ero. Da patre magistro
Edoceat, patris armorum tibi nuntius ibo.
Hæc ait, & matrem matre ipsa impugnat; amoris
Sic telum est anceps; sic qui iuuat obfuit ardor.
Et iurans pater affirmat; procul arma futura
A puero, reditum iurat, certamque salutem.

 Nunc

Nunc quoque polliciti memor est; rapiente tumultu
Commendat natum Eunucho; multísque precatur,
Et iubet immunis pugnæ, immunisque pericli,
Expectet, nec se nocte hac in prælia mittat.

XIX.

Elrici victoria.

QVadrupedem mox pronus agit. Iámque agmina fundit
Bragadinus, victórque auido dat corpora leto;
Toxaris occurrit, victriciáque arma retundit.
At Venetus celso impendens ruit ense, grauémque
Illisum clypeo ingeminat; mucrone corusco
Mox pungit, tantátque aditus; si quà ilia ferrum
Prodat, & oppositus permittat vulnera thorax.
Tartarus incumbit pariter, Venetóque vicissim
Ingruit, & scuto galeæque infensus oberrat.
Tum Venetus capiti ense minax, detorquet apertum
In femur, erumpit grandi de vulnere sanguis.
Quis credat? vulnus patrium penetrauit Acharsim,
Et feriit Natura procul. Citus induit arma,
Thoracem galeam, & clypeum; pellénsque morantem
Eunuchum, & patris nomen matrísque mouentem,
Ense ferox ruit in pugnam; mirabile dictu,
Per tenebras recto ad Venetum se tramite confert;
Tiróque succedit patri, nam vulnere pectus
Toxaris effossus madidá procumbit arenâ.
Et sensit puer esse patrem, vindéxque paratus
Bragadinum premit, arma super; sonat æreus vmbo
Non aliter certamen init Titanius ales,
Quamquam mollis adhuc, hostili sanguine necdum
Immaduit, primæque tument assultibus iræ;
Rostrum infert pectúsque ferox, pennásque sonantes.
Cynthia tunc noctem vicit, tenebrasque nitenti
Lumine perfudit, campúmque retexit opertum.
Et pater agnouit natum, gemitúque dolorem
Exhibuit. Sed iam Venetus lenta otia pugnæ
Indignans, toto in puerum defunditur ense,

Vul

Vulneréque ingenti ſternit, ruit ictus Acharſis,
Toxaris exurgit; nec iam ſuccedere bello
Dant vires, dolor atque timor dant vota precéſque.
Se medium, mucronem inter puerúmque cadentem,
Opponit, plagíſque nouis ſe pectore promens;
Hoc, ait, hoc aperi; locus eſt ſuper; ictibus amplum
Pluribus eſt pectus; tenerum ne funde cruorem,
Da puero pugnam incolumem; moriturus id orat
Te pater, id pendens nati de ſanguine mater.
Si pater es, tibi ſi coniux: ſi nomina ſancta
Percipis, indulge; tibi noſtra hæc funera dona.
Dixit, & explicuit nati caput. Aurea fulſit
Cæſaries, roſeæque genæ, frontiſque decoræ
Lilia, & armiſono tingens ſe Marte Cupido.
Miratur Victor Iuuenem; miratur, amátque,
Et donat patri natum, natóque parentem;
Pergitque vlterius; victrix metit agmina dextra.

XX.

Rex duos fratres vincit.

INterea fratres diuerſa in parte labantem
Suſtentant aciem, exemplo ſiſtúntque fugaces.
Lauerat hos Abdâ genitrice Boryſthenis vnda
Partum vnum, ſtudiiſque ambos promouerat vnis.
Ora eadem, par ſtatura, indiſcretáque formæ
Effigies, par robur erat. Pugnare bipenni
Pro gladio ſoliti, latáſque euoluere cædes.
Hi, procul Elrico auertit dum Tartarus ora,
Opponunt ſeſe; & primus dans verba Maruxus;
Quò fugitis; tam multi vnum? nullíve lacerti?
Terga pedéſque vni reſtant? hæc gloria gentis?
Hæ palmæ, decus id patrum? ſic Tartare vincis?
Vſſuntes dextrâ ſiſtit, qui proximus ibat
Tacberlum, trepidanti vltra vultúque pauenti
In caput impingit læuam; cruor effluit ater
Naribus & geminæ cerebri patuere cauernæ.
Nunc ait ille, fugam ſiſte, & ſic hoſtibus obſta.

Dein simul Albanos feriunt: cædente Maruxo
Ceruices ruptus cadit Anterus; illa Paesto
Vssuntes pectúsque secat; fodit acta bipennis
Intima, sordet ebur capuli stagnátque cruore
Non secus Æetæi pingit quos fabula tauri,
Auratum æripedes prompti defendere vellus,
Ore vomunt flammas, æratáque cornua iactant;
Spectantes pauor inuadit; turámque cohortem.
Sic fratres Elricum adeunt: in terga Maruxus
Inuehitur, frontem Vssuntes & pectora tentat.
Et gemini geminis hinc inde bipennibus instant.
Diuisos ille anteuenit; telóque Tonantis
Ocyor, eripiens saltu data terga Maruxo,
Vssunti incumbit; dextrum sub colla lacertum
Ense metit, pectúsque alto diffindit hiatu.
Tum fratri obtendit clypeum, ruit acta bipennis?
At per loricam, dum pendet in aëre dextra,
Elrici mucro pectus fodit; haustus in armo
Conditur opposito, & lato se tramite pellit.
Occubuere simul gemini: sed pronus in hostem
Vssuntes, armísque simul, promptáque securi,
Séque ipso, Elrico infusus; sub pondere stantem
Penè premit; subitâ emicuit vix ille ruinâ.
Postquam alter titubat moriens, & terga supinus
Proterit, & vitam inuisas expirat in auras.

XXI.

Cantamirus à Rege cæsus.

CAntamirum hæc inter pugnæ sitis vrit; ad vrbem
Tendebat, vallum aspernans, audacia tanta est,
SCANDERBEGVM optans votis ardentibus vnum.
Pugnari vt cœptum est, properabat nuntius ire
Castracanus, vellóque hostem narrare receptum.
Bis senas ardêre faces, & lumina vallo
Imperat inferri; saltúque immissus in aerem
Quadrupedem. Duc rectà, inquit, quò perfurit hostis,
Quò spargit strages, & funera Tartara voluit;

Pro

pro cæsis super vnus ero. Feliciter' actum est;
Cantamiro vicere hostes; mihi gloria parta
Excidio. Sic ingreditur. Circùm ignea noctem
Fax abigit, circùm agglomerans se Tartarus infert.
Et procul, inspectans stragem inter & arma furentem
ALBANVM. Præclarum, inquit, dignúmque maniplis
Ire Ducem! victor furto, ignauísque tenebris,
Cantamirum hoc vicisse metu, Sultanicáque arma,
Sperasti? luci inuisus, Solémque perosus.
Nec latebris condêre tuis, nec noctis amicæ
Tegmine; te tædæ, téque hæc mea dextera prodet.
Dixerat. Ingeminans sonitum disiecerat Auster;
Nec voces Albane capis; sed Tygride ab alba
Noscis Cantamirum, diráque ab cæde tuorum.
Namque ille emisso figit præcordia telo
Adramito, versóque caput metit ense Salonti.
Tartarus instaurat pugnam, pressúsque viro vir
Incubat; aut inferre necem vel ferre paratus.
Incurrere Duces. Qualísque per ardua celsi
Atlantis iuga venator, defessus inani
Dudum operâ; cùm fortè leo prorumpit ab antro
Terribilis, quassátque iubam, rugítque per auras;
Ille animo micat exultans, prædámque lacessit.
Sic volat Albanus. Primo ruit impete tygris;
Et galea insonuit, fulsitque in vertice mucro;
Sed dextram vibrantem acies conuersa fefellit.
Tartarus ingemuit; magno mox robore ferrum
Erigit, & toto in Regem deuoluitur ense;
Fulminat in clypeum pondus. Stat palma sub ictu
Immota, & validi fulmen risere lacerti.
Non aliter Brontes, Siculo resonante camino,
Incudi ferrum ingeminat, mole illa resistit
Indomitâ; crebro sonitu circùm Ætna remugit.
Tædiferi interea pugnæ iactante tumultu
Dispereunt, motámque aciem nox prima recondit.
Nec minus obnixi pugnant, cæcisque tenebris,
Leto auidi incumbunt. Tandem mora concitat iras
ALBANO; tacitusque pudor; sub gutture ferrum
Hosti adigit, vitámque animæ cum tramite claudit.

Cantamirum calcat sonipes, fœdátque cadauer.
Et iam Tartaricas latè victoria turmas
Fregerat, & palmas nox inuidiosa tegebat;

XXII.

Nouus pugnator.

REx victor strepitu excitur, sonitúque vocante
Aduolat, & pugnantem oculis minantibus haurit.
Tartarica vna phalanx, equitem tota eminus hastis
Impetit, ille vnus totam procul exigit; ensis
Letifer hunc illúmque rapit; nigricantibus armis
Horret eques; nisi quà cæco de vulnere sanguis
Loricam intingit. Quis enim in mea prælia surgit?
Rex fatur Veneto; nostro nec candida cassis
Indicio, miles nostra nec missus ab arce,
Dictus enim adscribi nobis, de gente profectus
Quacunque huc veniat. Sed iam est sua palma, fugámque
Victa phalanx agitat. Tu nostram humanus in Arcem
Victorem inducas; facilem dum curo receptum.
Hæc fatur, castrisque mouet victricia signa.
Obsessam nam Timoleon intrauerat vrbem,
Gaudiáque implebant Croiam, vasta horrea stipat
Annona, integro muri se milite vallant.

XXIII.

Narratio Memnonis.

MOx vbi capta quies, tutámque receptus in Arcem
Dux miléfque leuat curas, noctisque laborem,
Bellatorem atris qui depugnauerat armis,
ALBANVS memor inuisit. Iacet ille cubili
Saucius, Id monens medicator vulneris adstat:
Rex postquam penetrale subit, spectátque; iacentis
Pronus in amplexum; Túne, ô charissime Memnon,
Túne; inquit, defletus ades! nam funere raptum
Luximus; ô nostræ decus & spes inclita palmæ,

Tum

Tum Memnon; gemitus inter mœstúmque dolorem;
Illa dies vtinam; miseram quæ perdidit vrbem,
Quæ ciues ferro, quæque ædes ignibus hausit.
Me raperet simul illa dies, ferrétque sepulchro.
Nam tibi, quid commissam vrbem ciuésque petenti
Rex Albane loquar? cinctam mihi mœnibus vrbem
Tradideras, tutámque armis, & milite fœtam;
Hanc ego quam reddo! cineres & inania busta,
Opprobriúmque tuum. Quanquam, & vos sidera testor,
Pugnaui, & miseram merui deponere vitam.
Sed noua me iactura premit. Iam proximus vrbem
Carpit Amurates, nec longè immania castra;
Seruum ad me ducit miles, qui Turcica fallens
Vincula sollicitus nostras efflagitet aures.
Aspicio forma egregium, pulchróque iuuentæ
Flore genas sparsum; pudor inclinabat honestus
Lumina, & igniculos tacitus spargebat in ora.
Seductum fari iubeo, & spem commodus addo.
Ille oculos affixus humi, vix talia fatur.
Ni tua me virtus, ingens & gloria gestis
Parta tuis, raperent; fateor non Turcica vincla
Fregissem, & Dominos paterer, durúmque laborem.
Namque ego vestitum pueri mentita puella,
Infelix, longam & seriem perpessa malorum,
Cui tutò pateam? Quamquam non vilis origo,
Plebeia nec gente creor. Si venit ad aures
Smyrna tuas, claiúsque olim dum regna manebant
Zunites: natale solum dedit illa, fuitque
Is genitor, natámque Helenæ me nomine signat.
Dein regno dilectam aluit; nam Eudoxia mater
In partu rapitur, viduo lugenda cubili;
Iámque ego sum misera atque nocens; genitrice perempta
Dum parior, chara in cunis orbata parente.
Hinc ego patris amor, cura vna, & sola voluptas
Vnáque spes sobolis. Sed quid peritura iuuabant!
Rapta magis cruciant. Patriam & regalia tecta
Vrit Amurates; memini, furor omnia Martis
Vertit atrox; Pater arma rapit, séque obiicit hosti.
Sola ego quid facerem? occurrit mihi vestis Ephœbi;

Hanc

Hanc rapio,& lateo. Domino mox trador habenda;
Hactenus ignota; & quæ nunc clementia cœli
Effugio. Nunc redde patri;si vescitur aura,
Veráque fama canit viuum, tutúmque receptu
ALBANI, firmæque tegi munimine Croiæ.
Illa gemens fudit, lacrymísque per ora volutis
Immaduit;cœpítque mihi formosa videri.

XXIV.

Helenæ casus.

ECce lues vrbem inuadit, cæcísque latebris
Prorumpit,cædes latè atque incendia fundens
Claudebat tunc septo Arcis;procul hospita Claræ
Tecta tegunt Helenam. Nostras pudor abnuit ædes.
Hic me vicit amor; pugnat Charidemus in arce.
Obsistitque hosti; mediam dum condor in vrbem,
Et Claræ tecta exploro:circùm illa coruscant
Ignibus,& tostis pascunt incendia tignis.
Me furor abripuit,letíque incensa cupido;
Parcunt tela,negántque necem, pugnántque saluti.
Tandem Arcis memini;& vitam positurus honestè,
Hanc subeo; leto Charidemus arundine fixus
Raptus erat; murúmque super sæuire Dracutes
Ceperat,& dura obstantes contundere clauâ.
Pellitur hinc; virtute ardent præcordia victis;
Iámque dies noctem expulerat, Titánque peractq.
Iam præceps cursu fluctus tingebat Iberos;
Arx erat incolumis, firmúmque in milite robur.
Flamma ingens totas subitò concepta per ædes
Arma vetat;nec causa ignis perspecta,nec auctor,
Hostilísve dolus,casúsue,an proditor intus,
Sic flammas hostémque inter prorumpimus arcti,
Parua manus, sed grande decus cui morte paratum.
Nunc me quid referam? Iam Sol lustrauerat orbem,
Cùm fati ereptus telo, vitæque relictus,
Lugeo,plagarum plenus, sensúque doloris.
Straminea iaceo sponda: sub paupere cultu

Cella nitet, vir canitie vultúque verendus
Aſſidet,& voces adhibet dextrámqne medentem.
Quid plura? ille pius ſpiſſa inter funera raptum
Detulerat;vitam obſeruaps, animámque fugacem.
Nuncque iterum vitæ cuſtos, auctórque ſalutis,
Immutat ſtudia, & quanquam mihi vita moleſta eſt,
Permittam & patiar; de me quid condat Olympus.
Hæc Memnon. Rex ſolatur,lenítque dolorem.

Finis Libri quarti.

LIBER



LIBER QVINTVS.

ARGVMENTVM.

SCANDERBEGVS diuina ope fretus, bis mille equites victos fugat.

SCANDER

SCANDERBEGI
LIBER QVINTVS.

I.

Nouum Amuratis consilium.

AVRORA in croceo candens fulgebat amictu,
Purpureis inuecta rotis; cùm mota Tyrannus
Lustrat castra fremens; vndantes sanguine fossas,
Admissæ portas mortis prægrandia spectat
Vulnera, & immitti cumulata cadauera ferro.
Mòxque ad Cantamirum versus; cui guttur apertum
Latè hiat; exanimi verbis insultat amaris.
Sic pugnam inceptas? sic nostra ignaue tueris
Signa? vigil sic castra tegis? sic dificis hostem?
At nuper, quanto verborum insana tumore
Funera iactabas? Croiam euersurus ab imis.
Sedibus. En terram nunc corpore sternis inulto.
Sic ait. Et castra inspectans, qua Lisanus amnis
Voluitur, & muros allapso gurgite firmat,
Debilibus tutela ingens; (nam mœnibus agger
Rarior incumbit; validum tutamen aquarum est)
Audaci mentem ausu implet, grauidátque capaci
Vastam consilio, atque animi totum expedit æstum.
Ire lubet, quà nulla vja est, quà panditur vnda;
Quà Natura obstat, léxque insuperabilis orbis.
Nam secum. Orcano quid opus? quid Tartara verbis
Exciri, Magicásque artes sub signa vocari;
Orcanus non sum ipse mihi? non Tartara dextra
Sufficit? hic animus Magicas non præbeat artes?

Nescio

Nescio quis, pelagus valuit committere ponte,
Neptunúmque iugo premere; & potantibus amnes.
Exsiccauit equis. Vanus spectator ad vndas
Consideam? fluuiúsque meis sit meta triumphis?
An mihi equus milésve deest; an pectore robur
Non sit idem? sit magnum aliquid quod vota repellat?
Chatiti tunc mentem aperit; diuellere fluctum
Alueo, & expasso ad murum succedere gressu;
Quæ ratio voti implendi, quo milite iussum
Perficiat; scaláśque paret, lectásque cohortes.

II.

Machometus Regem prouocat.

NEquaquam has Machomete moras tibi Martius ardor
Esse finit, lentíue placet cunctatio belli.
Audierat; nam fama refert mendacia veris
Permiscens; Regem Albanum statione soluta
Cantamiri, Croiâ montem tenuisse relictâ,
Et turmis fretum Venetis, Albana ciere
Agmina, & audaci venturum in prælia marte.
Tunc laudis succendit amor, bellique patrandi
Gloria; spésque vrget tollendæ ad sydera famæ.
Hactenus, ah pudeat nullo inclarescere facto.
Virgineo cingi ferro, thalamisque recondi
Auratis, nihil aut duri decerpere belli.
An me ideò validæ genti regnare superbum
Fata volunt? nutu scythicas frenare cohortes;
Armis vt niteam; subitis immune periclis
Eripiam latus, & patria sim tutus in Aula?
Quem decuit, metam Imperij trans æquora dudum
Vexisse, & magnos misisse in vincula Reges.
His stimulis mentem vrgebat, facinúsque reuoluens
Conceptum, dabat Vssarco non mollia iussa.
Scenderes quo se tutum commisit asilo,
I citus, & mandata refer. Piget otia belli
Lenta Machometem, atque ignauos ducere soles;
Quin si par Scenderi agitat præcordia virtus,

Vnâ rem dirimant pugnâ, atque hostilibus armis
Concurrant; partum Æmathiæ sint præmia regnum.
Postera vbi cæcas Aurora remouerit vmbras,
Arma Machometes rapiet, pugnámque capesset.
Ipse locum Albanus signet, legémque duelli.

III.

Amuratis proditio.

HÆc iuuenis tunc iussa dabat, sed non tulit ire
Vssarcus, atque aperit mandata Tiranno:
Ille alta rem mente agitat; spéque atque timore
Ambiguus, natum laudat, metuitque saluti.
Tum meti occurrit facinus, scelerata quod vltrò
Ambiat, & regni pretio velit esse redemptum.
Imperat Vssarco properet, mandatáque dicat
ALBANO Seriem magni mox criminis orsus,
Aggreditur verbis Resulanum, arcanáque promit.
O mihi præ reliquis tenero dilectus amore,
Nam perspecta fides, & crebra pericula martis,
Quem non concilient, aut quæ non pectora vincant?
Nec reor immemorem accusas: data præmia nuper
Munus Cantamiri, & iussæ parere phalanges;
Quanquam vix prima iuuenem lanugine pingas.
Nec piget. Audendi nunc se laus maxima pandit,
Si vires, & fallax animi non lusit imago.
Crastina vbi se luce dies diffuderit orbi,
Solus in arma ruet, nullo consorte pericli,
ALBANVS; bis mille equites, sub nocte silenti,
Ipse leges, iunctis perdésque phalangibus vnum.
In te compositi sit Martia gloria belli,
Gratiáque, & te vnum tollant super astra nepotes,
Hæc Dominus. Iuuenis tingens simul ora rubore,
Pauca refert. Si quid merita est mea prima iuuentus,
Si quis honos, Martisque mihi si laurea parta est,
Muneris id Sultane tui. Seducis ephœbis
Immeritum, monstrásque ardere cupidine laudis;
Præmiáque accumulas, nec si modò ponere vitam

Iusseris, atque tuas cæsum procumbere ad aras,
Cunctabor, iussæ aut quæram pigra otia morti.
Sed fatum da dignum animo, mortémque decoram.
Vnum me pugnare iube, compone ruenti
Vnum Scenderi; vincam, vincárne perinde est,
Quem mors excipiet generosa, aut laurea læta.
Frendet Amurates subitáque ardentior irâ;
Ignaue; ergo aliquid, præter mea iussa decorum,
Aut turpe est? nec sit ratio Sultanus honesti?
Sed pauor, & trepidæ pallens socordia mentis,
Ire vetant, Dominóque metus parere recusat.
Quanquam id præuidi; horrentíque pericula, turmas.
Adiunxi, & clypeis texi bis mille timentem.
Quin pugna extremus; vel cùm omnes hauserit ensis
Hostilis; da terga fugæ, studiosus honesti.
Hæ Satrapam vicere minæ, subit intima terror
Pectora, & obsequij superest laus vna pauenti.

IV.

Mahumetus obiurgatus.

TVm natum Pater arcessit, monitísque tumentem
Pacat, & ardentem bello demitigat æstum.
Laudo equidem; & fortem flagrare in prælia mentem
Perplacet, & tenerum perrumpere in ardua pectus.
Noui in Scenderem quid cogitet; ac iuuat ignem
Incendi, patrum cineres qui suscitet ignis.
Declinas sed nate viâ; nec semita laudis
Illa tibi est; maiórque tibi victoria surgit.
Tu Reges atauos, & grandia nomina, turbi
Hoste premas? laudúmque loco sit dedecus ingens?
Nam quis honos, quod grande decus, si vile Catastæ
Mancipium, dignum flagris ferróque notari,
Vincat Amuratis soboles? Certamina Regum
Ambiat; & Terræ Dominos in prælia cogat
Pœnas, mitte angi, dabit improbus, exiget vltrix
Supplicium Nemesis, nostrásque impendet in iras.
Tu fili, hos animos in digna pericula mitte.

Sic

Sic Pater. At Iuueni interea furor intima carpit,
Et iecori flammas, & cordi incendia miſcet,
Non aliter tabo infectum, diriſque venenis,
Textum, quod miſeræ donat Medea Creuſæ,
Corripuit flammas,ſubitóſque exarſit in ignes,
Et ſponſæ vorat oſſa furens, hauritque medullas.
Occurrunt ignominiæ, fraudiſque, doliſque,
Probra ſimul; turbis pudor, & mendacia verba,
Et nomen ridendum hoſti. Prorumpere tandem
Cùm ſinit ira, nec obturbat reuerentia patris.
In famem méne ergo iubes; ſic dedecus atrox
Pro nihilo eſt; natíque tibi ſit gloria flocci?
Quin Reges atauos, & grandia nomina, ſceptrumque
Ipſe habeas; ampla ſolus domineris in Aula;
Dum mea vetus honor ſit portio; iuſtáque laus ſit,
Pro Muſulmanum ſolio, Patrúmque coronâ.
Abrumpit vocem Genitor,mox plura paranti
Dicere;iámque minax oculorum fulminat ignis.
In me igitur, votis ſemper contraria iuſtis,
Coniurata domus? famuli,ſoboléſque repugnant
Obnixi:quíque exagito formidine ſceptri
Europam atque Aſiam,Laribus ludibria noſtris,
Seruío. Nequaquam,ſuperi. Nec lenta ſenectus
Fregit Amuratem; nec me famulantibus ætas
Mancipet, aut primos ignauia molliat auſus:
Sed dudum ceſſant pœnæ,nullóſque cruorem
Diuus agit: truncis ceſſo tentoria membris
Obuallare ferox, medium diffindere corpus,
Per pluréſque animam licet vnam auellere mortes.
Quin à te incipiam? quin ſancitura poteſta,
Obſequium,vomicam regni ſaniémque repurget?
Sed lentam feret ira moram. Vos ſedula turba
Cuſtodite trucem; iuſtas dum comparo pœnas.
Sic ait;abſcedítque ferox. Cuſtodia natum
Circumſtat,frænatque animos, Martémque coërcet.

V.

Rex ad certamen prodit.

POstquam prima dies candente refulget Olympo,
Et lux orta solo nocturnas dispulit vmbras,
ALBANVS iam rura tenet. Mandata ferentem
Vssarcum, audierat; tacitúsque egressus ab arce,
Dum nox cæca silet, magna in discrimina tendit
Inscius, atque vnum meditans interritus hostem.
Cornus dextram implet, lateri succingitur ensis
Taumasius, lato clypeus se fulgure prodit:
Corbutus presso signans vestigia ferro,
Iam pugnæ præsagus ouat; vixque ora lupatis
Spumeus indulget; resonant hinnitibus auræ.
Tiran rumpe moras, vitreis tandem aureus vndis
Exorere,& læta frontem præcinge corona,
Visurus,quod nulla dies, nulla obtulit ætas
Spectandum facinus:non Larissæus Achilles,
Cùm Troiam erueret; non Persida vinceret ardens
Cùm Macedo; patriam aut premerent cùm Cæsaris arma,
Terrarum dominos debellatura Quirites.
Sed mihi quis pugnam enumeret? certamine in vno
Mille quis enarret? Rerum tu conscia Musa
Magnarum, Heroas digna vna expandere palmas,
Fare, & inauditum ventura in sæcula pande.
Dum medium nox cursum ageret; duo millia lecti
Clam vallo excedunt equites; per amica silentum
Camporum spatia, & valles, riuósque liquentes,
Progressi; donec sua quique per agmina fusi,
Signatum tenuere locum. Candescere cœlum
Ceperat; has voces iactas Resulane Tribunis.
Me nisi Sultani premat inuiolata potestas,
Cogántque imperia; obtestor cœlúmque, solúmque,
Muneris id non susciperem, pugnámque negarem
Indecorem: nam plura virum si perdimus vnum
Agmina, quid laudis, magnæque in secula famæ?
At Domini impellit non eluctabile iussum;

Obse

Obſequimur. Tamen eſt vnum, quod flagitet ardens
Laudis amor, iubeat lex belli, & Martius ordo.
Per turmas pugnare viri; bis in agmina dena
Partiri, vice quiſque ſua prorumpat in hoſtem.
Agmina ſorte legam. Dixit; mens omnibus, vna eſt.
Sors iacitur; moráque vocat de caſſidde primum
Roſtanem, dein Buſtmanum; mox Intora; móxque
Sarpanum infamem; tum quemque ex ordine deinceps;
Extrema in galea Reſulani teſſera reſtat.

V I.

Rex ſe comparat ad pugnam.

VIx ea. Et ARBANVS lucem geminantibus armis
Apparet, ferrata procul terit vngula campum.
Tum ſenſim arrepunt turmæ, circúmque locatis
Agminibus, claudunt reditum, atque indagine cingunt.
Hic poſtquam inſidias, atque agmina circumſpexit
Lunata, innumerámque aciem, atque horrentia tela;
Frænum inhibet, tacitúſque animum viréſque latentes
Pertentat; ſimul explorans quodcunque pericli eſt,
Indulgénſque ſibi, attolit mox lumina cœlo,
Hac prece compellans Numen. Si meta diebus
Iſta meis, vitámque iubes hoc limite claudi,
Non renuo Felix vixit, qui ceſſat honeſtè.
Da dignam Te méque necem; tibi ſanguinis humor
Effluat, & Scythico occumbam tua victima ferro:
Noſti animum, cordiſque fibras. Túque optima Virgo,
Chriſtipara, auxilium miſeris; da fundere vitam
Vt decet; hanc poſcunt vota vnam extrema ſalutem
Sic ait. Illa Dei nutu arbitrióque retecto,
Aligeris ſimul intendens dat iuſſa duobus,
Alter adit Chriſti Athletam; fulgentiáque arma
Cæleſti intingit ſucco; galeam, atque trilicem
Loricam, & clypeum, & chalybem quo crura teguntur,
Corbutúmque ſimul. Ferro impenetrabile ferrum
Tela domat, ſuccique latens inſenſilis humor;
Vulnus vt excludat. Permittit cætera Numen

Albano, fortíque ſuis dat viribus vti.
Hic armat ſe animo,robúrque intendit in hoſtem.
Ac veluti clauſo in ſpatio, quem ſedula cingit
Toletana cohors; ferro Longurius horret,
Quadrupedéſque micant;litui ferit æthera clangor:
Stat Taurus; ſpiſſam crebro pede voluit arenam,
Alternátque latus; fumúmque è naribus efflat;
Et caput excutiens, lentè fera cornua verſat,
Cornua ſanguineis miſtura liquoribus aruum.
Sic enſem Scanderbegvs, dextrámque retentat.

VII.

Turma Roſtanis in Regem.

ROſtanes ſimul accelerat,ſimul agmine facto
Centum equites; Dux anteuenit, ſic ore loquutus.
Quid cæcum Martem intentas? temerarie pugna
Abſiſte; & quò fatâ trahunt,impende volentem
Non ſi Centimanus,centum ſimul arma moueres,
Brachiáque,& telis centum gladiiſve ferires;
Spes foret effugij. Vitam quid perdis inanem?
Te meliora manent:Mors vltima linea rerum eſt.
Impos reſponſi Albanus:nec ſuppetit iræ
Vox vlla; indignans corno vibrante reponit;
Corbutúmque premens ſtimulis; ruit impete toto
Feruidus, & certam prætendit cuſpide mortem.
Nec ſe fulmineæ Roſtanes ſubripit haſtæ,
Occurrítque vltrò; at telo reſupinus inani
Voluitur,immani transfoſſus pectora ferro.
I nunc, victor ait, Manéſque hortare ſepultos,
Vt metuant cauti propetatæ funera mortis.
Mox Chronim,Puchem,& Torylam tranſuerberat haſtâ,
Boſnagúmque ſimul, fragmentis æthera cornus
Verberat; occumbunt cæſi, terrámque fatigant.
Extemplò in galeam & clypeum cadit incita grando
Telorum, & thorax iaculo crepitante reſultat.
Nempe vnus cunctis ſcopus eſt, meta omnibus vna.
Hic vbi ſe ſcuti inuoluens munimine texit,

Excuſsítque

Excussitque minas iaculorum, & inania tela;
Taumasium stringit?nitidum mica æthere ferrum:
Quàm citò barbarico tingendum sanguine ferrum:
Nulla mora est:vna fractum ruit agmen ab ense;
Brachia,crura simul,capita à ceruice reuulsa,
Et trunco lacerati artus, fissique lacerti;
Sessori immistus Sonipes,vnóque sub ictu
Truncatus pariter, latáque effusus arena
Sparsa iacent: atro manant de sanguine riui.
ALBANVS victor campo; spatiatur aperto.

VIII.

Noua turma.

BVstmanus tum quadrupedem calcaribus vrget;
Insequitur turma, & promptum se fundit in hostem
Impendet iaculorum imber, densúsque repentè
Soluitur,& latum clypei diuerberat orbem,
Vtque imbrem excutiunt plumbo lucentia tecta,
Iunonisque iram frangunt, cœlique furorem:
Sic clypeo ferrum insultans, vmbone pependit
Irritum, & immuni ruit irrita cuspis ab orbe.
At non Bustmanus telo decertat inani;
Collimat quà celsus apex de casside vibrat
ALBANI pennæque leues candore coruscant;
Quem nec olorinus Mæander in alite vincat,
Alpinæue niues, aut dens Elephante resectus.
Perstringit galeam iaculum, cristámque nitentem.
Excutit;hæc molli præbet ludibria vento,
Mox cadit, & fœdo candorem in puluere turpat.
Stat magno decussus apex. Volat ecce per agmen
Ferratum ALBANVS; Bostanum in pluribus vnum
Seligit,& magno in galeam molimine fusus;
En tibi,ait,memor vt perstes, mea crista reponit?
Per galeam,caput,atque humeros, pectúsque reclusum,
Ferri acies penetrat, ventrémque & viscera findit;
Bostmanus ruit ancipiti iam mole bicorpor,
Hinc atque hinc funus spargens, diuisáque membra.
Portentoso ictu motæ obstupuere phalanges,

Exploiántque fugam. Sed te non terruit Ismel,
Aut ferrum horrendum, aut certæ vicinia mortis;
Vna tenet Fatima, & iuratum Numen amanti.

IX.

Ismel occisus.

IAm puer infantem, magno succensus amore,
Ismel vrebat Fatimam; dein mutuus ignis
Creuerat, ætati suppar; progressus & vltra,
Tantus alit flammam, rapitúrque per ossa Cupido,
Iam furit immanis, victórque incendia miscet.
Quin & connubio tædísque iugalibus ignem
Extinxent; odium sed inexorabile patrum,
Et furor in cædem irrumpens & mutua fata,
Vota vetant. Dum spes magnum sustentat amorem,
Buccina Threicias in bella vocauerat iras.
Nec lentus dat nomen Amans; agit inclyta gentis
Gloria, & ambitæ iuuenili in pectore laudes.
Quas lacrymas Fatima, & quæ non suspiria misit!
Vt properum teneat, Martísque extinguat amorem.
Cùm frustra videt esse preces; tandem vbere fletu
Ora rigans, ora ingenuo suffusa rubore:
Vnum te crudelis, ait, te poscimus vnum;
Cætera quando negas, duro de marmore cretus.
I quò bella vocant, quò te Mars impius vrget.
Per gladios, per tela vola, ferríque necantis
Sæuitiem; geminúmque caput permitte furori.
Vnum Scenderis ferrum fuge: nomina bello
Inclyta permitto; sub sæua pericula mitte;
Sat mihi, declines Regem, dextrámque potentem,
Te per ego has oro lacrymas, per mutua dudum
Vulnera; si non fallit amor, mendáxque Cupido.
Promittit Iuuenis, iurátque At flagrat honore
Nunc Fatimæ memor, & dubio discrimine pendet.
Hinc amor abducit, serpénsque sub ossa venenum,
Illinc cogit Honor præsens, animúmque flagellat.
Iámque procul telum exhausit; Fatimæque precanti

Hacte

Hactenus indulgens, proluserat eminus armis;
Cùm socio meditante fugam, verbique recepti
Immemor. Ignaui, quò vos metus abripit; instar
En pugnate mei. Dixit. Gladióque minanti
Castrioti sese opponit; ruit ille, necémque
Inferat, inuersus dextram ni fallat inanem
(Ferrum vertit Amor, Mauórsque pepercit Amanti)
Ismel terrifico totus percellitur ictu.
Mox vt se reuocat, pressásque recolligit iras,
ALBANVM petit incensus, ferrúmque lacessit,
Quò ruis imprudens? sortem quid cogis iniquam?
Occidit heu! grandi perfossus vulnere pectus:
Insanus Fatimæ fletus, mœrórque perennis.
Cætera turba fugit. Sternuntur corpora campo.

X.

Tertia turma victa.

INtor vt optatem sortem, Martémque cupitum
Aduertit: simul arma viris, & præmia certa
Ingeminans, ducit rapidos, spe lætus inani:
Ventosa hic leuitate ferox; tumidúsque trophæis,
Quæ pater Euboicis victor defixerat aruis;
Antehac fortunam incessans, sortésque malignas,
Quæ sibi Scenderen raperent, dum tertius exit.
Nunc vltrò exultans, sociorum & clade superbus:
Eia, inquit, fugite, indigni procumbere ferro;
Fortes ista viros pugna expetit; ite puellæ,
Ite leues, thalamos petite, atque imbellia pensa.
Præuius hinc turmæ, longam procul abiicit hastam,
Tantus inest fastus, solúmque incumbit in ensem.
Implicitúsque hosti, repetitis ictibus orbem
Verberat, & rigido scopulum super impluit imbre.
Albanus postquam risu delusit amaro
Insanum, retudítque ictus, virésque refregit.
Nunc nostras patiere vices; an fulminat ensis
Experiere; simul dicto, ruit ense recisum
Ventosum caput, & spissa tumulatur arena.

Mox se in confertos abdit, ferróque recludit
Quà se vertit iter, nec contra obsistere nitens
Turba valet, quin terga fugæ properantia vertant.
Formido simul accelerat pernicibus alis.
Non secus ac gelido Boreas cùm sæuit ab axe
Threicius, stridétque asperis sub flatibus æther,
Diffugiunt nubes, atque vltra Atlantea vectæ
Culmina, largifluos liquidæ soluuntur in imbres:
Implentur Nili cunæ, spatióque fluentes
Immenso, Memphim exundant, Ægyptiáque arua.

XI.

Plures turmæ simul.

INterea Sarpanus atrox, iam verbere cæco
Sæuior (intentant Diræ sua flagra furenti,
Criminibúsque parant pœnas, funestáque fata)
Vt comites cecidisse videt, suáque arma vocari:
An metus, an furor, ambiguum: sic ora rebellis
Soluit, & abductis suadet noua dicta Tribunis.
Quod fatum, O socij, quæ nos amentia versat?
Singula nos per membra iuuat succumbere morti,
Diuidere has animas, vltróque infrengere vires?
Nimirum id Sultane iubes? ea summa voluntas?
Vt nos dum prodit Resulani insania; ferro
ALBANVM iugulum demus, resecandáque colla?
Quin nos vnanimi ruimus sub prælia Marte?
Quódque dedit fortuna, iubent Domin*í*que potentis
Imperia, & natura docet, ratióque pericli,
Exequimur, iunctísque hostem contundimus armis?
Dicta placent sociis: nec te Resulane morantur
Contra obnitentem. Visæ properare phalanges
Bis simul octonæ, & totidem properare Tribuni:
Nec timet Albanus: præsenti at morte feroces
Instaurans animos, gladióque in funera prompto:
Sic ait. O toties Saraceno in sanguine mersus,
Cùm te ageret victor Gotofredus, & impia mactans

Agmina, demeteret palmas, regnúmque pararet;
Nunc mihi sis idem: mucronem aciémque cruentam
Exacue, & similes victor decurre per hostes.
Túque ô perpetuis sonipes charissime pugnis,
Quem comitem Deus assiduis dedit ire triumphis,
Auge animos, iras reuoca, primámque iuuentam.
Perrumpit mox densam aciem, ferratáque claustra.
Vtque in Phlegræis (narrat sic fabula) campis,
Arma gigantæos expugnatura tumores,
Cyclopum fabricata manu cùm Iupiter infert:
Illa in Centimanis permista cohortibus, altos
Montibus extrudunt montes, immania septa
Deturbant, valléssque implent, fratrúmque furentum
Corpora deuoluunt, atris condenda cauernis.
Typhæi horrendis resonat mugitibus Ætna.
Sic SCANDERBEGVS, gladius, sonipésque, per hastas
Infusi & turmas, rapidi sua fulmina torquent.

XII.

Regis fortitudo.

QVis varios mortis vultus? quis funera fando
Enumeret? quis plura animas per vulnera missas?
Maralem, & Draculam, Medintum, & Carbaca, ferrum
Multiplici fato interimit, diuisáque iungit
Vulnera mors: iugulo Medintus, pectore Carbax:
Marali palmæ abscissæ, Draculæque lacerti.
Funera miscentur, cumulat Libitina triumphos.
Ac veluti viridi in prato cùm falce recurua
Herba cadit, pictíque cadunt cum gramine flores,
Agglomerantur opes ruris, confusáque passim
Gasa perit: raptos thalamos luxere Napææ.
Albano sic ense ruunt, iuuenésque senesque,
Sternúntque effusos cumulata cadauera campos.
Et tu Sarpane occumbis; non dignus honesto
Interitu, turpem infami qui claudere vitam
Limite debueras, Nemesique rependere pœnas.
Exin lenta manus pugnantum, agménque vacillat,

Et

Et procul abducti telis pigra bella minantur.
Mitrates cùm verba facit: Tot vicerit vnus,
Proh pudor Et lectas ideò iubet ire phalanges,
Hísque fidem Sultanus habet; quin mutua misti
In fata irruimus; probrúmque extinguimus? vno
Tam multos periisse nefas: reuocate trophæa,
Este viri: obruite hunc, saltem tot mortibus, hostem
En iterum pugnam instaurant, glomerántque cohortem
Certatim: densi incumbunt, mortémque propagant.
Se turbâ euoluit, spissóque sub ordine mergit
ALBANVS ferrum, nusquam sine funere ferrum.
Turba premit; mox turba petit: nec se vllus ad ensem
Admouet impunè, aut spatio succedit aperto.
Non secùs, ac terræ gremio cùm clauditur Eurus,
Explorátque viam cunis, vterúmque retundit;
Dum tandem eluctans, medias perrumpit in auras,
Fit fragor, effractæ circùm patuere cauernæ,
Saxa volant, tellúsque alto se condit Olympo.
Vi simili SCANDERBEGVS decurrit in hostem,
Stipatúmque aperit: trunco diuulsa ruenti
Membra volant, rubeis curcùm fluit imbribus æther:
Et laus Corbutum stimulat sua: nulla moratur
Pugnatorem ætas: postquam ceruicibus altis
Infremuit, Martísque æstus interritus hausit;
Instituit pugnam ipse suam: quà morsibus vrgens
Quadrupedes: quà sessorem percellere dura
Calce potens: artus luxat, peruadit in ossa,
Compagésque imas: ardens fremit ore cruento.
Nec rapidum furor abducit, quin totus habenas
Audiat, & dentem calcémque accommodet ensi.

XIII.

Deiparæ tutela.

ATtamen obsistunt Turcæ, pluréque peremptis
Succedunt, gladióque truci nulla otia dantur.
Sic noua consurgit ceruicibus Hydra resectis,
Sicque acer miles Cadmæo erumpit aratro.

Iam Regi defessi artus, iam membra labascunt
Pondere, iam dextræ cædentis mollior ictus,
Et patitur Naturam Heros. Quin ilia pulsat
Corbutus, sicco fit creber anhelitus ore,
Et lenta iam calce ferit. Tunc Nuntius alter,
Quem miserata Ducem Regina emiserat Astris,
Iussum munus obit. Magno Rex feruidus æstu,
Attollit galeæ speculare, oculósque micantes
Fulguribus, vultúsque minas & fulmina monstrat.
Aliger infundit radios, cœlóque petitam
Maiestatem addit, sæuum quæ terreat Orcum,
Quam paueant elementa orbis, cœlíque columnæ.
Horruit aspectu miles, subitúsque pererrat
Ossa timor, similísque Deo comparuit Heros.
Ipse agnoscit opem, & ferro, qui proximus instat,
Mitratem aggressus, medium secat: alipedique
Detruncat sublime caput: confusa necatis
Membra ruunt quatuor sanguis de fontibus vndat.
Tanto ictu perculsi animi; nec iam amplius ardor
Pugnandi superest; cæca formidine rapti
Effugiunt: præceps longum ferit vngula campum.

XIV.

Resulanus transit in partes Regis.

NEcdum parta salus Regi, victúmque periclum,
Restabas Resulane super, fidámque cohortem
In fessum inducens, poteras infringere palmam.
Aliger id prohibet, mentíque illapsus, in hoste
Virtutem laudat, pectúsque emollit honesto.
Tum socios sic compellat. Quid præmia Martis
Heroi eripimus! virtus & in hoste colenda est.
Humano virtus cultu spectabilis adsit,
Maiora an præstet; licuit miracula vestris
Delibare oculis, quæ seri vera nepotes
Esse negent, adeò humanas superantia vires.
Et iuuat amplectique virum, dextræque potenti
Submitti, & tanto Ductore in prælia ferri.

Quærat

Quærat Amurates,per quos sua crimina pangat.
Assensu plaudunt socij, cursúque citato
Accelerant, Regémque pio venerantur honore.
Hic quanquam sudore horret,manátque cruore
Hostili, & sæuo mens bello afflata calescit:
Componit vultum,placido Mars exulat ore,
Complexúsque viros,verbis affatur amicis.
Dein pius agnoscit Numen, gratésque supremas
Persoluit, prædámque nouam deducit ad Arcem.
Occurrunt mœsti Elricus Venetúsque, dolore
Sollicito; fessi incassum dum rura pererrant,
Regémque inquirunt: mentes nunc gaudia pulsant;
Et patulæ attendunt Turcis narrantibus aures.

XV.

Osmanis aduentus.

OBruit hanc laudem tacitus;rabiémque Tyrannus
Dissimulat, clámque elapsos interficit amens.
Ceu facinus cum teste necet:per funera viuax
Fama votat, factúmque canit vulgátque per vrbes.
Mox animi versi ad pompam:castra intima feruent
Lætitiâ, Martísque vices noua gaudia carpunt.
Has creat Osmanes curas. Hic lata potitus
Imperia,effusis quà Caucasus imminet aruis.
Tartareisque plagis primos disterminat Indos,
Venerat, in laudem pronus, socialiáque arma
Iuncturus Turcæ Iudenis: sic gloria cogit,
Quinquagena trahens bellantum millia, & auro
Gemmísque oppletus;vastam iactabat opum vim.
Sed neque magnificò deerant virtutis honestæ,
Aut impensus amor;fluctusue æqualis amori.
Nempe bonas artes mater studiosa iuuentæ
Indiderat,puerum curâ formante magistrâ,
Moribus instillans Numen, sancitáque Christi.
Nata etenim,lambit pelagus quà culta Trapezus,
Præda pyratarum dum litus obambulat,inter
Æquæuas longè formâ pulcherrima virgo,
Nupserat Vsfanto Regi, solúmque marito

Enixa

Enixa Osmanem, solum vno ardebat amore.
Séque puer dignum exhibuit; nisi dogmata Chisti
Quòd minus admittat:tenerum rapiente paterno
Exemplo, cultúmque suum moréfque docente.
Pugnabátque diu mater, ne iungeret arma
Natus Amurati:donec per somnia læta
Accepit sacro tingendum flumine natum,
Dum Turcis pugnat fidens, & fœdera iungit.
Spe nixa assentit votis:sed iussus Achillas
Ire comes nato assiduus:pius assecla Christi
Eunuchus, tacitè vt iuueni pia dogmata pingat.
Nunc castris propior, prædâ dum miles oberrat,
Abductam caulis pulchro videt ore puellam:
Casta verecundo cui forma accensa pudore;
Degeneres damnat cultus,aduersáque facta:
Rustica nam cultu est, summo Regina decore,
Destinat hanc Machomete tibi: cui patris amorem
Instauraturus, properat succedere castris.

XVI.

Osmanes excipitur.

IAmque triumphali splendent tentoria pompâ.
Splendidus ante fores longo tegit ordine vallum
Bellator;lucent arcus, validæque sarissæ:
Ensis inaurato splendet super ilia baltheo,
Et splendent fusæ candenti in tegmine cristæ.
Charites Satraparum ampla cingente corona
Excipit Osmanem, & lento tentoria gressu
Præteriens,intrat summi penetrale Tyranni,
Ceperat inclinare dies,vespérque tenebras
Inferre: at facibus vastum penetrale coruscat,
Et lectas ostentat opes:Holosericus astris
Papilio micat auratis; nam sidera gemmæ
Collustrant, adamas candens, rubeúsque pyropus.
Celsus Amurates solio sedet: aurea lamna
Marmarico contexta ebori,lucémque nitorémque
Intendit:diuersa operi se lumina miscent.

Palmarum

Palmarum ſtant fulcra globi, quos Dalmata puro
Inſculptos doctè finxit, ſolidóſque metallo.
Horret Maieſtas torui ſuper ora Tyranni,
Indignata coli; rigido ſtudet vna timori:
Incendit truculenta oculos, frontémque ſeueram
Aſperat,& rugis ſe multa ſenilibus addit.
Viſus at Oſmanes horrentia mitigat ora,
Et noua Maieſtas veterem rapit. Exigit annum
Vix geminum tria luſtra ſuper; purúſque iuuentæ
Flos ambit frontem atque oculos,oríſque pudici
Oſculum, & in malis roſeus vernantibus halat
Cæſaries infuſa humeris, cirríſque retortis
Prætexens frontem atque genas, flauóque colore
Solem picta nouum, niueo ſub tegmine fulget.
Quin tegmen lucet gemmis, induſtria mater
Quas poſuit: lucem ordo iuuat. volat omnis in vnum
Oſmanem aſpectus: tantùm valet illice formâ.
Haud ſecus Aſſyrius buſto cùm prodiit ales,
Séque nouum flammante rogo mortalibus affert:
Formoſum mirata cohors pennata volantum
Inſequitur, pendétque oculis, nec pabula carpit.
Mars tamen exornat Venerem; ſuauíque vibrantem
Ore animum, & molli mentem præ corpore cernas.

XVII.

Oſmanis Oratio.

ILle ſalutato ſoluit ſic ora Tyranno.
Hic vbi ſe primi condunt cunabula Solis,
Et naſcens Aurora roſas & lilia ſpargit.
Fama tuum, Rex ſumme, decus noménque celebrat.
Non illam Euphrates tenuit, non ſpiſſus Araxes
Fluctibus, aut vaſtis Neptunus Caſpius vndis,
Quin ſuperans duros nimboſa cacumina montes,
Et Tauri progreſſa niues, brumámque rigentem
Caucaſeis admiſſa iugis, penetrauit in vrbes
Tartaricas, clanxitque tubâ, regnóque vagata eſt.
Hac duce tot fluuiorum emenſus & vndas,

Adue

Aduenio:nec veracem piget esse sequutum:
Quanquam etiam mendax, laudes aut inuida carpsit
Illa tuas:minuítque decus, noménque repressit.
Nam spem oculi cumulant,superántque; & quæ auribus hausi,
Quæ præcepi animo, malè te,Rex maxime, fingunt.
Quid si digna Patris soboles Mahumetus adesset:
Si coram ille tui pars non indigna decoris
Astaret:quàm grata dares spectacula nobis
Et noui peccasse reum, noxáque paternum
Incurrisse odium, quanquam erro:nulláque patrem
Extinguat noxa, aut odiis immutet amorem.
Sat pœnæ, exemptóque datum: nam commoda patri
Pœna breuis; Regique lucrum est,parsisse dolenti.
Id te orat reus ille dolens, te turba precatur
Ista ducum,miles simul,& vexilla reposcunt.
Id te ego; si precibus momentum audacibus vllum est,
Oro vnum:mihi da socium:da iungere fratri
Posse manum, & iurare fidem consortibus armis.
Immensum exultat Dominus, sortémque beatam
Prædicat, & iuuenem supremis laudibus ornat.
Tum precibus Natum indulget; celerémque Resulpham
Nuntia ferre iubet,longis quis venerit oris
Aduena,quàm gratus, quanto dignandus honore.
Gratantur Satrapæ, vocésque has Vnama fundit.
Postquam octaua diem tulerit Titonia mundo,
Nascetur sacer ille dies,quo limina vitæ
Rex summe attingens, prodis sub luminis auras,
Fortunata dies, quam nulla obliuia carpent,
Fausta polo & terris, felíxque nepotibus olim.
Hac patere effusis celebrari gaudia pompis,
Ludósque institui; nec enim sine numine diuûm
Tempestiuus adest turmis plaudentibus Heros.
Hæc Satrapa.Osmanes orat simul. Annuit vltrò
Sultanus; Croiam interea dum vertere sperat
Funditus, & victor iustos agitare triumphos.

XVIII.

Virgo mahumeti donum.

AST vbi se coram Mahumeti Tartarus offert,
Hæserúntque ambo, spectari dignus vterque,
Et visi implerunt oculos, mentémque vicissim.
Tunc demùm Turca admirans sic ora resoluit.
Qualis in has, Superi, successeris aduena sedes.
Qualis io! vincla exsoluens; patriam atque parentem
Armáque restituens, libertatémque cupitam.
Hinc frater mihi semper eris. Pòst, mutua pandunt
Brachia, & æterno iurant noua fœdera nexu.
Heu cæcas hominum mentes, ignara futuri
Pectora! nunc Princeps liber, modo sæua quereris
Vincula; & Osmani luctum mœstásque querelas
Pro dono feret, vsque adeò spes nostra caduca est.
Vix in conclaue intulerat noua gaudia, virgo
Ecce nouum Osmanis munus clàm limina pulsat.
Donantis causâ dum donum inspectat, & implet
Visu oculos, mentem incauto succendit amore.
Nullo equidem cultu, simplex & rustica vesti,
Candenti ex tela confusos rete capillos
Strinxerat, vndantes rumpebant vincula cirri.
Ipsáque sollicito multùm cruciata dolore.
Tum gemitu soluens pectus, tum lumina fletu,
Lumina virgineo terræ defixa pudore,
Astabat; sed telam inter, suspiria, fletum,
Mœrorem, atque metum, formæ lucebat imago,
Digna deus quam pingat Amor, quam sidera fingant.
Vtque solet Titan oculis iucundior esse,
Lucida si radios media caligine nubes
Texerit, & tenui sidus mollíuerit vmbrâ;
Infelix sic virgo placet, famulatur Amori
Cura recens, dum prima subit miseratio mentem.

XIX.

Virgo illa quæ fuerit.

OBſtupuit viſa Mahumetus virgine, iámque
Mollior,effari iuſſit quæ cauſa doloris.
Illa genu ſupplex amplexa; atque oſcula plantis
Infigens, tandem has voces è pectore promit.
Triſtes reliquias, infelicique ruinæ,
Quæ modò Spitigradam ferro ſubuertit & igni,
Quod ſupereſt, Rex ſumme,vides ; dixere parentes
Eugeniam; heu miſeris natam in contraria fatis;
Effugi ferrum atque ignes, ſortémque furentem
Protraxi;heu dura ſerie calcanda malorum.
Indiga opis,rus aufugi; mihi ruſticus ædes
Præbuit,& coniux redamans ſolata dolorem eſt.
His me redde precor, miſeram permitte malignæ
Fortunæ, & longos ſolam ſine ferre labores.
Id mihi munus erit,nec ſit modò gratia maior,
Quàm patriæ caſum, & raptos lugere parentes.
Flammam oculis bibit interea, gratúmque venenum
Haurit amans Princeps,mittítque ſub oſſibus ignem.
Aſper adhuc animus,nullo libatur amore,
Vincitur,& ſeruæ ſubmittit colla Tyrannus.
Solatur dictis flentem, tradítque tenendam
Aſtragari Eunucho;cultum veſtémque parari
Magnificè; tum dimiſſam iubet eſſe quieto
Securámque animo ; tradit dein membra ſopori.

XX.

Amor Mahumetis.

SEd duri in thalamo vepres, curæque iacentem
Exagitant,nullúſque ſopor ſe fundit in artus.
Huc atque huc iactat corpus;ſi fortè moleſtum
Excutiat ſtimulum ; blandè ſed fixus inhæret,
Inuadítque animum.Iam pugnæ abſcedit imago.
Laudis amor Martíſque tepet; non pectora pungit

Albanus,perit ira ferox,vltrixque libido.
Totum virgo rapit. Cùm se collegit,& ignem
Deprehendit, cæcósque rogos, flammámque latentem;
Indignans.Túne is suppar cui defuit hostis
Hactenus?Albanum is vincis?sic vincula nectis
Europæ;sic famam imples, noménque paratum?
Scilicet id de te populis vaga fama loquatur?
Captiuæ ille iugum subiit; terit otia pigra
Ille Machometus,vili defixus amore.
Hæc secum. At mentem mollis sententia vertit;
Virtutem,atque iram,& bellum,laudémque,& honorem;
Vnus vincit Amor. Votum est placuisse puellæ;
Et iam flamma oriens ætatem impleuit adultam
Iámque miser lacrymas fundit, mœstásque querelas.
Inuidus in nostras quis te Deus, aduena, terras
Intulit? Osmanes tanti noua fœdera vendis?
Quin vinclis me redde meis ; da carcere raptum
Carceri,& incensum patrem, fœtúmque minarum
Mens tranquillè ageret; caperent modò membra soporem.
Nec tantos nutrirem ignes, tantúmque furorem.
Mox blandè dum pungit Amor, formámque puellæ
Exhibet; exclamat Princeps. Pulcherrima virgo,
Da veniam; mihi vincla placent;nec soluere nexum
Vlla dies possit:nullus labor,aut dolor vllus.
Sic miser implebat noctem,somnúmque negatum.

XXI.

Virgo sollicita.

Ipsa etiam cruciat vigilem sua cura Puellam.
Angoréque,metúsque sui, & certamina versant.
Perdidit hæc patriam, gasas, charósque parentes;
Pro patria pudor est charísque parentibus vnus;
Nec velit hæc vna pro virginitate pacisci;
Huic vigilat prudens, metuens huic consulit vni.
Heu quid agat raptanda pecus,faucésque luporum
Iam iam implens; suóque sitim mersura cruore!
Non sic imbellis penna trepidante columba,
Accipitrem fugit,vngue fero rostróque minantem.

Quo

Quò fugiat virgo? quæ me infortunia vexant;
Summe Deus; dixit. Tu me simul omnibus orbas;
Et Pater & Dominus: patior, nec verba repono;
Sunt tua quæ reperis. Sed quem seruare pudorem
Ipse iubes, patiere rapi? sunt omnia contra,
Vis, atque illecebræ, paupertas indiga rerum,
Imperium, & Regnum. Compone tot hostibus vnam;
Fœmina quid possit virgo; succumbere morti.
Scilicet, ac casto præuertere fata pudori.
Sed tu fata vetas spontanea; fata Tyrannus
Nec mea deposcet; velit hunc iugulare pudorem;
Et patiar? prius at vitam cum sanguine fundat,
Membratim laceret corpus, laceróſque per artus
Sæuiat igne ferox; quàm te pudor vlla voluptas
Delibet, vel virgineum decerpat honorem.
Hæc postquam; perplexa hæret. Sacer impetus ægram
Mox agit: & diuo mentem succensa calore,
Quid dubitas? inquit, quæ spes malesana relicta est?
Non Memnon periit? vitæ non lumine cassum
Audisti? non spes etiam simul occidit omnis?
Parce Deus; quid adhuc tecum mortalia libro?
Affer opem, Regina poli, Matérque Tonantis.
Tunc genibus supplex, casti pia vota pudoris
Intemerata tulit Superis, Superûmque potenti.
Angelici plausere chori, plausere cohortes
Diuorum, & summo Regina affulsit Olympo,
Et certam promisit opem: sensitque Puella
Subsidium, iucundo artus perfusa sopore.


XXII.

Amnis auersus.

INterea Croiæ exitium Charite parabas.
Amnis tergeminis diuulsa canalibus vnda,
PrætERlapsa humili fluctu, iam mœnia nuda
Liquerat; abrupto moles surgebat in alueo,
Arboribus saxisque grauis, ferróque reuincta,
Machina complebat ripam, lectasque cohortes
Feruebant; cùm prima dies explenderet orbem,

In muros, vrbémque imam perrumpere promptæ
Nox erat, & fessos sopor irrepebat in artus,
Cùm vigil, æthereus custos, cui credidit vrbem
Cunctipotens, damni metuens, gnarúsque pericli,
Conuenit Aligerum, fluuij cui tradita cura,
Et liquidi fontes, & stagna, & quidquid aquarum
Irrigat Æmathios fœcundo flumine campos.
Tum loquitur. Quia nam pateris, quod Lisanus vndas,
Deterat, & vulsis spargatur in arua fluentis?
Sic orbis legem violari, & iura refringi
Terrarum finis impunè; vt teterrimus hospes
Insideat, fontésque tuos & flumine fœdet?
Quin age; nam cœli Numen consurgere donat;
Propugna imperium fluuiorum accesse meatus,
Euolue oppositas moles, Orcúmque coërce.
Dixerat. Hic celeri fluuios & stagna volatu,
Nep:unúmque petit, magnam vim voluit aquarum
Æquore, pérque altæ fundes penetralia Vestæ
Abducit, nascens cunis qua Lisanus exit.
Hausit te Pontana palus, téque æquore raptum
Drine tulit, vexítque Loum, tumidúmque Celydrum
Fluctibus, & iussas Apsus simul intulit vndas.
Tum raptos agit in cursum, validóque tridente
Terribilis, toto deuoluitur agmine præceps.
Ad Croiam aduentat, positósque hinc inde canales
Obstruit, & densa claustrum compingit arena.
Dein molem premit insultans, crebróque tridente
Verberat, & ruptam pellit compage soluta:
Pulsam vrget, pandítque viam. Ruit illa, sequantur
Præcipites fluuij & magno se gurgite fundunt.
Lisanus ipse petit Turcas vltricibus vndis,
In dextram exundans; rapit instrumenta furenti
Vortice, militibus bellum infert, diráque fata,
Fluctibus incautos mergens: stragémque propagat.
Illi hausti fluctum insternunt; raptíque per amnem
In pelagus subeunt. Cumulata cadauera lustrat
Nereus, & placido miratur naufraga ponto.

Finis Libri quinti.



LIBER SEXTVS.

ARGVMENTVM.

CROIÆ incendium, seditio, & emptio.

SCANDERBEGI
LIBER SEXTVS.

I.

Ludi militares.

NONA dies terris album reserabat Olympum;
Castra intus læto fremitu, crebróque meantum
Discursu,& gasis, atque armis concita feruent.
Scilicet illa dies Domini cunabula nati
Viderat;exultat miles,plauditque Tribunus.
Area lata patet, pompis surgentibus apta,
Cæruleum aulæum Solem radiósque retundit,
Obducto cancelli auro minioque refulgent,
Pululs ab argento splendens consternit arenam,
Et luxus terram ipsam ornat. De pegmate surgit
Magnifico solium,geminata sedilia lucent;
Auro contextis Serum sub vellere pannis,
Illusis Phrygionum operâ,tabulata coruscant:
Iámque implent Domini sedes. Amuratus in alta
Eminet;hinc atque hinc Princeps & Tartarus astant.
Extemplò variam inducunt spectacula pompam.
Decurrunt equites; media luctantur arena
Membra palæstritæ nudi; facit abdita fraudem
Dexteritas, magicásque artes solertia fingit:
Bellua docta mouet ludos; ad cymbala saltat
Rauca elephas,molémque rudem concentibus aptat:
Simius Hircana tutus cum Tygride ludit,
Nec lusam rapit ira feram:Lepus ora Leonis

Tuta

Tuta subit, reditque vngues, dentémque voracem,
Auersi Dominorum animi, leuiórque voluptas
Non penetrat mentes; agitat spem quisque latentem.
Irarum turbo Sultanum, atque vltio versant;
Hactenus ætumnæ illusæ, vnúsque labores;
Stat Croia, Albanus valida stat tutus in Arce,
Iámque minas Martémque parat: sed funditus Arcem
Vertat Amurates, & asylo comprimat hostem.
Illa virum vota exagitant, mentémque fatigant.
Virgo Machometem rapit vna; in virgine fixa
Mens hæret; videt absentem, præsentibus absens.
Osmanem laudum plausus & gloria pulsant;
Pugnacémque moræ tædet, Martísque negari.

II.

Fratrum pugna.

TVnc noua se facies offert, & lumina sistit.
Bremeres Vladúsque astant. Enixa gemellos
Partu Zata vno dederat sub luminis auras;
Ora artúsque pares, nullo discrimine flauis
Crinibus; & similis præstanti in corpore virtus
Quin & concordes animis, mensa vna domúsque
Ceperat, vnanimes etiam fortuna iuuabat;
Cuique etenim pulcher pulchra de coniuge: fœtus,
Diuersa de matre pares; instárque parentum,
Moribus, ætate, atque animo, vultúque gemelli;
Lustra duo geminósque annos impleuerat ætas.
Candida gossipino decorabant lintea textu
Succinctos patres; capitum tegit ardea tegmen
Consimilis; parma in læua, dextra ense recuruo
Emicat; in pugnam pariter vestigia figunt.
Confestim in parmas & mutua vulnera certant;
Impingúntque enses; crebro ferit impete ferrum,
Et parmâ exceptum sonitu crebro æthera pulsat.
Hi repetunt densántque ictus: micat ictibus ignis,
Et scintilla frequens longo tegit agmine parmam.
Sic chalybem Ætnæo tundunt Cyclopes in antro,

Ferrúmque ingeminant; vastum scatet ignibus antrum.
Primò ars,inde furor Martem rapit(apta furorem
Ars simulat) nec se fratres meminisse videntur
Se miscent,mutántque locum; nec iam amplius vllam
Bremerem aut Vladum spectantia lumina norunt;
Cui faueat iam nescit amor. Sic pugnat vterque
Innocuus,nec læsa gemit natura duello.
Atque vtinam fratrum hæc odiis pia bella placerent,
Nec se alio luctu naturæ extingueret ardor.

III.

Fratrum liberi pugnant.

SVccedunt nati patribus,pugnámque capessunt;
More nouo; latos humeros nam quisque parentum
Conscendit,iactátque ensem mucrone coruscum:
Tunc punctim se quisque petit; ferrum arduus ille
Intentat, mortémque vehit; ferro iste repellit
Et mortem & ferrum; diro mucrone vicissim
Imminet; at ferro vibrante retunditur ictus.
Arte fouent patres artem, doctámque palæstram;
Accessu abcessúque pares;gressúque mouentur
Assiduo; natósque regunt vestigia patrum.
Stant fixi pedibus pueri,nec lubrica fallit
Pugna gradum; motúsue celer vestigia turbat.
Quin & luctantur iuncti, teneróśque per artus
Brachia iactantes, certamina gymnica fingunt.
Mutatis exinde humeris, mucronibus vrgent
Sese iterum; nullo inter se discrimine noti.
Natorum aut patres qui sint,sobolésue parentum.
Mollitus Sultani animus,seque ore voluptas
Explicat;& multo certantes munerat auro.

IV.

Stipes armatus.

ECce nouum pugnæ ſpecimen. Trabs lignea ſurgit,
Et circùm auratis moles affigitur armis,
Loricam galéamque ferens ; cui brachia circùm
Sena horrent, totidémque manus, totidémque lacerti
Quáque manu pendet tudes, ferróque minatur.
Intus ſed rotulis fabricata eſt machina miris;
Nam ſcopus & meta eſt equitum ferientibus haſtis;
Vt ſi quis feriat medio ſub pectore, tota
Corruat, & ſparsâ iaceat diuulſa ruinâ;
Si quis puncto erret medio, leuiterque ſiniſtrâ
Aut dextra inclinet, pateat ferientibus incus
Tuditibus, dirum & miſeris ferat artubus imbrem.
Exultant in equis Satrapæ, fulgentibus armis
Inſtructi, pictæ lucent ſub cuſpide corni.
Primus Amon latâ alipedem committit arenâ;
Argento lucet caſſis, viridante Smaragdo
Lucet apex, viridique chlamys depicta colore.
Alipedis volat ecce gradu, ſtatuámque ſiniſter
Delibat, cuſpíſque ictu deluſa fugaci
Diffluit, & vacuo purum ferit æthera pulſu.
At non incaſſum ſe machina mobilis egit,
Excepit conuerſa equitem, ſeníſque flagellans
verberibus, crebro galeam ſuper intonat ictu;
Tinnitu illa ſonat, longéque euerberat auras.
Tum ſonipes Tiphantem infert; cui murice picta
Sidonio chlamys arma tegit, galeámque nitentem
Vmbrat apex roſeus, cocco dura haſta refulget.
Ille latus læuum ſtudio declinat inani,
In dextrum offendens; ſenos ſimul excipit ictus;
Criſta obtrita perit; gemit alto verbere caſſis.
Termanum curſus præceps rapit; aureus ille
Loricâ; & galeam ſimili pingente metallo,
In ſtatuam fertur, ſcopuliſque elabitur ardens,
In medium vectus; metâ ſed cuſpis aberrat

Altior

Altior, ictum exit leuiori verbere strictus.
Mox alij peragunt cursum, ludibria cursus
Passi eadem, tundit grauiter dum malleus armos.

V.

Cursus Osmanis.

OSmanes hanc laudem ambit, dignúsque parari,
Visus honor; nutu fidum Cresponta monente,
Astat equus, pilum immensum, fulgentiáque arma.
Ille armis fulgere negat, sagulóque coruscus,
Sicut erat, saltu alipedi sese arduus infert.
Pulchior ornatu membrisvè haud Cyllarus olim
Tyndaridem audierat; sed nec formosior ipse
Tyndaris, admotas læuâ flectebat habenas,
Cùm varios Leda spectante retexeret orbes.
Confestim iuuenis dextram implet fraxinus ingens
Quadrupedémque mouet stimulus, volat ocyor Euro,
Iámque tenet metas, rapido torrentior igne.
Hasta nec abscedit: medio sub pectore monstrum
Figitur, & subitâ iactantur membra ruinâ;
Hinc atque hinc artus sparsi, & cum tudite rapta
Brachia, tellurem sternunt, vulsique lacerti.
Læto spectantum plausu ferit æthera clamor;
Igneus Osmanem decorat pudor, oráque pingit

VI.

Alarinæ amor.

LÆtitiâ sic Turca fremit; dum luget acerbos
Albanus casus Alarinæ, inopinaque fata.
Eunuchus sortem miseram narrabat Alason.
Ni me occumbentis Dominæ suprema voluntas
Et iussa vrgerent, non hos sub gaudia luctus
Miscerem, lacrymásque tuis, Rex optime, palmis
Insererem; quid enim iustis lamenta triumphis?
Sed tacuisse nefas, & te pia fata iuuabit.

Audire

Audire, & Dominæ componere funus amanti.
Poſtquam Pannonicis ſecurum Alarina periclis
Emerſiſſe videt, ſolióque ſedere paterno;
Quanquam amor abſentem luget, tædáſque iugales
Extinctas, ſpémque abrubtam, bellúmque futurum,
Idem gaudet amor; nec enim lugere ſalutem
Albani regníque decus, fas eſſet amanti.
Ah quoties Alarina meis ſic auribus inſtat!
Intra animi cordíſque fibras; chariſſime Alaſon,
Pugnat Amor; ſibi nempe idem eſt & amicus & hoſtis.
Albano ſed vincet Amor; faſces Alarina
Submittet; tranquillè agit hic, viuítque beatus,
Et ſolium condit; poſſes Alarina dolere;
Et dictis vitam aptabat. Nam ſola voluptas
Narranti r æbere aures, dum fortia facta
Dicebam, laudéſque tuas, belliſque triumphos.
Et fateor; ſæpè aggreſſus, miſeratus amantem,
Spem vanam premere, & curis auertere mentem:
Et memini; Satrapam Hircanem, iuuenilibus annis
Egregium, & magno ſuccenſum pectus amore;
Laudabam, & patris nutum, & connubia prompta.
Illa patrem, nomen ſponſi, & connubia, méque
Auerſata procul. Primus mihi, dicit, & vnus
Sponſus erit, qui flammæ auctor, reſtrinxerit idem.
Nec ſi fata negant hymenæos, funera tollent.
Hoc animo ſpes infirmas, thalamóſque labantes
Suſtentabat amans; donec vaga fama per vrbes
Spargitur, Irenen fauſta in connubia duci.
Rumori detracta fides, dum nuntia firmant
Certa fidem, & verax quærenti fama reperta eſt.

VII.

Alarinæ mors.

TVnc mihi virgo gemens luctu: Moriamur, Alaſon,
Albanus periit. Quid enim mihi vita ſuperſtet?
Cornabar verbis ægrum lenire dolorem.
Spernit verba dolor. Teneros mens obruit artus.

Iámque

Iámque puellari febris ardens corpore sæuit.
Móxque vt cera tenax, ad flammam admota liquescit,
Guttatímque perit; vorat ignis edace calore
Cecropiæ stipantis opus, longúmque laborem.
Sic æstu gemino succensa miserrima virgo;
Hinc dum sæuit amor febris inde, & proxima votis
Fata vocat, frustra studio pugnante medentum,
Tabescit, vitámque volens absumit acerbam.
Et iam gnara sui, virésque experta cadentes,
Me vocat; vna astat thalamo charissima nutrix;
Dein mœstas promit morienti è pectore voces,
O quem curarum nullæ latuere mearum,
Cuius digna fides, cui credat iussa, voluntas
Extrema; hæc memori quæso nunc mente recondé,
En morior; nec momentum hoc mendacia fingit?
Vixi; nec licuit castas succendere tædas,
Albani nec amore frui; nunc spiritus auras
Deserit; at properum fatum vt me iungat amato,
Et Superos inter possim conuiuere felix,
Christi tingor aquis, méque ad noua dogmata formo.
Dilecto tu visa refer, cúmque vrna cadauer
Expetet, æterno claudam cùm lumina somno,
Pectore cor rape diuulsum, clausúmque sepulchro
Pixidis, Albano defer; simul hunc Adamanta,
Quem dono dederat, lacrymis mollire profusis
Quem potui, ex dantis genio nisi durior esset.
Adde preces; vt me saltem cùm viuere cesso,
Diligat, & gemitum morienti impendat Amanti
Tum Nutrix iussum implet opus: morientia membra
Abluit, & voces mœsto pronuntiat ore.
Confestim virgo læta pia gaudia mente
Percipit, & tollens gratas ad sidera palmas,
Emittit properantem animam, vitámq; resoluit.
Pectora nos miseri vano contundimus ictu.
Pulchrior hæc post fata micat; vultúmque serenat
Cœlestis decor, & radiis fulgentibus implet.
Et modò, Rex, Adamenta vides, cordísque beati
Reliquias. Tradit post hæc lugubria dona;
Rex capit; ac postquam lacrymis impleuit obortis

Pyxida

Pyxida, & ex imo suspiria pectore duxit;
Ac grates cœlo exsoluit. Meminisse iuuabit,
Dum fruar hac vita, dixit; cúmque vltima fata
Me rapient, superis spero permistus & Astris,
Æternùm te Virgo colam, te mente pudica
Prosequar, & tecum securus fœdera iungam.

VIII.

Amor Mahumetis.

DVra Machometem non tangunt fata sororis;
Vna rapit mentem Eugenia. Illucescere Titan
Incipit, & primos radiis colluminat Indos.
Cursum implet, celsóque orbi collucet ab axe,
Mox labente die se mergit in æquoris vndas;
Hærentem videt Eugeniæ, videt ore querelas
Fundentem timido, videt otia blando terentem.
Non equidem insanum Virgo prolectat amorem,
Blanditiísue fouet, vel spe succendit inani;
Quin dura, & verbis conatum austera seueris
Audacem infringens, frontémque oculósque minasque
Obiicit: Ha quoties Superos testata, Deúmque,
Castam posse mori, fœdari haud posse, puellam.
Et radios Mahumete vides, qui Virginis ora
Mortalem attollant supra; stant lumina fixis
Fulminibus, dirúmque metum spectantibus indunt;
Peruadit Sacer ossa timor; nec Principis vltra
Audet amor; quàm ferre preces, suspiria, questus.

IX.

Amurates filium obiurgat.

AT postquam obseruat Pater otia turpia nati,
Neglectum Martis studium, laudémque relictam;
Et discit tandem inquirens, quibus ignibus amens
Ardeat, insano famulæ deuinctus amore;
Tum verò indignans, rapidas malè continet iras,

Oblitus se penè patrem. Postquam ita resedit
Chatitis ductu, & mentem prudentia rexit,
Arcessi natum iubet; ereptámque puellam
Clam duci, flammæ vt pereant alimenta furenti.
Dein sic præsentem verbis compellat acerbis.
Quid nunc pigra domi fers otia? quò tuus ille
Armorum & Martis laudisque euanuit ardor?
En te Castrioti ferrum manet, ille duellum
Proximus indicit, vocat hinc, ridétque morantem.
Quid cunctaris iners? tu qui modò vana superbo
Pectore iactabas, genitori infensus & hosti.
Sed nec Amurates pater est; nec spuria proles
Implebit solium. nam quem vesana libido
Mancipat, & seruæ qui præbet inertia colla,
Otmanicis indignus Auis, pensa ille retexat
Feminea; ad speculum crinem componat & ora.
Absorbet tacitus voces patris; vna coercet
Eugenia, & flammas iræ premit ignis amoris;
Impauidúsque timet. Sed vbi penetrale recepit
Festinum, & prædâ vacui patuere recessus,
Audítque optatam patrem rapuisse puellam;
Tum furor insanum, rabies, atque vltio cæca
Exagitant. Vtque in lustris Tygris Armena sæuit,
Cùm venatores rapuere cubilia cauti,
Nec reperit quos pascat amans; in saxa furorem,
Inque specum vertit, séque ipsa ferocior vngue
Dilaniet, ni vindictæ spes arceat iram.
Perrumpat sic cæcus amans, ædésque paternas,
Et decus & nomen maiestatémque verendam
Proruat: Osmanes ni sæuum arcere dolorem
Ausit, & irarum, spe virginis, opprimat ignes.
Ille inter luctum thalamo implacabilis hæret.

X.

Amuratis amor.

NAm lictor raptam Eugeniam; timidámque pudoris
Sistit Amurato, nati scelus. Ille modestos

Attol

Attollens oculos, imploratura leuamen
Numinis, incauti penetrauit in ossa Tyranni.
Virgine conspecta subitus furor occupat artus,
Irarúmque ignes flammante cupidine mutat,
Iámque flagrans intus lasciua incendia pascit.
Sulfure non aliter, sicco de fomite raptus,
Vulcanus capitur, latísque sub ædibus ardet.
Flamma Senem malesuada coquit, præcordia torret,
Nec patitur vesana moram: quin sæua pudori
Vim parat. (Heu superûm rector succurre precanti)
Impius ire ardet, pellit quo pectoris æstus;
Iámque ruens, videt Aligerum; videt ore minacem
Et gladio; radiata simul videt ora puellæ.
Inuadit formido artus, insana medullis
Flamma perit, sceleris concepti extinguitur ardor;
Cassus amor superest: post pressa incendia nempe
Sunt calor & fumus, primæ vestigia flammæ.
Ardet Amurates, sed mitius; hæret Amatæ,
Blanditur, sceptri oblitus, longæque senectæ,
Nec studium belli, nec rerum cura, vacantem
Sollicitant, Croiæve labor, laudísve cupido.
In castris languet miles; tenet otium inermes
Molle duces; æstus Martis pugnæque refrixit.
Quin Domino obtrectant, passímque insana voluptas
Carpitur, & sensim malesuada Rebellio gliscit.

XI.

Belli cura neglecta.

NEc Mahumete siles; ardent præcordia zelo,
Et patrem restinguit amor. Quid tardior armis
Abstinet, ille ducum exemplar, speculúmque Regentum?
Croia stat, excelsa stat SCANDERBEGVS in Arce,
Et patitur, Musulmanæ laus maxima gentis?
Scilicet huic Virgo Croia est, laus, vltio, bellum.
Attamen hic iuuenum senior carpebat amores,
Ætati nostræ infensus; nunc ignibus vri
Non pudet, ac niuibus canis adiungere flammas.
Charites Dominum verbis auertere frustra

Nititur; vnius colit ille Cupidinis arma.
Osmanes iungítque preces, simulátque recessum;
Nulla mouent patrem aut natum; simul ardet vterque;
Discordátque simul. Superest spes vna malorum
Orcanus, per quem horrendus succurrat Auernus.

XII.

Turbæ apparantur.

HAud causæ deest ille suæ. Sua flumina dirus
Consulit, & stygias in pelui introspicit Vmbras:
Aspectat Cacyam, Cociti è sede nefanda,
Grassantem, atque inter Dominos inimica serentem
Dissidia; intentat sæuum Discordia ferrum.
Extemplò infernis Astartem educit ab antris,
Accusat Cacyam, verbísque incessit amaris,
Publica res tibi sic curæ? Sic nostra tueris
Commoda? sic socius regalia iurgia miscet?
Corda Cupidineis pungis quid regia telis?
Quorsum insanus amor? genitórque à prole reuulsus?
Hos Albano animos, hæc blandimenta repone.
Astartes hæc verba refert. Accensa libido,
Agnosco, nostri est operis; flammámque furentem
Restinxisse nefas; imò & discordia nostra est.
Sed Cacyam, quando id votum est, in mœnia Croiæ
Immittam, qui damna ferat, ciuiliáque arma
At nusquam Scythico cedent optata Tyranno,
Ni ferro absumat, stygiámque imponat ad aram
Christiadas, quos vincla tenent, quorúmque salute
Spitigrada inuito superest immunis Auerno.
Sic ait: hinc Cacyam obiurgat. Tu perfide regnum
Turbare, & nostras ausis confundere partes;
Castra mei iuris, Scythicásque subesse phalanges,
An nescis? te summa latent arbitria Ditis?
Quid tecum hic Regúmque animis? quid iurgia misces
Impia? Quem si aliàs. Sed vade; hostilia turba
Agmina; Croia patet; peruade in mœnia; tutus
Texe dolos, fraudes vetitas, artémque nefandam.
Impiger obsequitur, séque vrbi subdolus infert.

Interea

Interea Orcani monitis, clàm nocte silenti
Mittitur Eugenia; immensi tibi causa doloris
Turcice Rex; nimium Orcani sed iussa premebant.
Hanc Halyus Prusam ducit, sub mœnibus altis
Seruandam, Dominus victor dum perdomat hostem.

XIII.

Tentatio.

MOx Cacyas fraudem aggressus, se corpore vestit,
Chatitis cui forma senis, ruga aspera frontem
Sulcat, inalbescunt rari sub tegmine cani;
Membra sed in vegeta durant robusta senecta.
Eustathium alloquitur: primus vigil excubat vrbi
Eustathius, muros extra fossámque locatus.
Quid frustra ærumnis durísque laboribus artus
Deteris, & vitam studio pereunte fatigas;
Nam quis finis erit? miseris quæ meta malorum?
Vos bellum infringit, rumpit labor, intima vexat
Esuries, spes linquit opis, mors excipit atrox;
Quò ruitis cæci? Sed tu succurre labanti
Iam patriæ serua inuitam, mortémqu repelle.
Vna patet ratio; flammis si publica flagrant
Horrea, & annonam quæ pauca est deuorat ignis;
Sic Croia admittat Dominum, durósque labores
Finiat, extinguat stragem, parcátque cruori.
Auctori optatæ sortis tibi præmia sunto,
Laus & honor, quódque immensas spes impleat aurum;
Nam meæ opis dare pollicitum. Spem proditor amplam
Accipit, & tetro sceleri se pronior offert.

XIV.

Incendium.

NEc crimen mora longa tenet. Nox proxima cælum
Texerat, inuoluens spissa caligine terras;
Ecce domus, qua multa Ceres sua dona recondit,

Improuiso igni lucet, subitóque furente
Vulcano, latè flammis illuminat vrbem.
Horribili sonitu ignauum campana soporem
Discutit, & crebro ciuem vocat incita pulsu.
Ille artus nudos, & corpora semisopita
Rapta thoris, inter flammas & funera defert.
Zunites vigil incumbit, stratisque relectis
Sollicita Irene, atque operarum sedula turba,
Sed tectum iam flamma vorat, iàm voluitur atrox
Mulciber, & latas pestem diffundit in ædes:
In flammis annona perit, consumitur igni
Faua Ceres, flammisque ipsis noua pabula præbet.
Iniecti incassum fontes, puteique fluentis
Exhausti, & raptis illatus fluctibus amnis;
Sæuit acerba lues, fusisque increscit in vndis.
Fornacem intendit Cacyas, doctúsque ciendis
Ignibus, ipse opifex, præsens incendia torquet.
Iámque ædes afflat proprius, quibus horrida belli
Instrumenta latent, detriti sulphuris ollæ,
Argolicis alimenta rogis, fulménque vibrantes
Machinæ, & armorum cumuli, Martisque supellex.
Conuersæ huc curæ: nam prompta alimenta furori
Si rapiant flammæ; pereat spes vltima rerum,
Vrbsque ruat, ciuem oppressum tumulante ruina.
Intercisæ ædes mediæ; simul ignis inani
Abruptus spatio; at flammam per inane volutat
Igniuomus Cacyas, victórque aspirat ad ædes.
At dum sic vehitur, tecti super ardua stantem
Aligerum videt, ore fero, gladióque minantem:
Et fulgore ictus, præceps vestigia vertit;
Séque dat in flammas rapidus; crepuere fauillæ,
Horrendum sonuere rogi; similisque caminis
Ætnæis strepitu horrifico domus alta flagrauit.
Sic tandem absumptis cessant incendia tectis,
Quique sibi cunæ fuerat, sibi Mulciber vrna est;
Iámque quies fessos carpit, plenósque laborum.

seditio

XV.

Seditio concitata.

EVstathio sed nulla quies; agit impia mentem
Proditio, & fului spes magna ostensa metalli.
Hic primùm ciues tenui captare susurro,
Lugere inuidiam sortis, casúmque molestum,
Quo spes rapta famis pellendæ, animæque trahendæ.
Clam miscere sonos; mox compita questibus altis
Implere, & miseris tristes portendere casus.
Quid iuuat ærumnas, immensorúmque laborum
Indignam seriem lento perducere filo?
Perpessi num plura satis? mortale quid vltra
Portandum speresт; miseros detriuimus artus
ferro & vulneribus; si quid de corpore restat,
Absumet nunc dira fames; quo lentior, illo
Durior, & tacitâ torrebit viscera flammâ.
Scilicet, vt postquam genitrix ingesserit aluo
Dira suos fœtus, séque impia pauerit escis,
Quas Natura horret, fugiat quas teter Auernus;
Raptati in prædam, satiemus sanguine Turcum?
Aut si quis superest patriæ: fæuæque ruinæ,
Seruiat, & vitam diuturna morte rependat.
Lucrari tot damna licet, dúmque integra res est,
Certam amoliri cladem, patriámque tenere.
Nec nos Zunites moueat, neque, debile fulcrum,
Irene; quorum hæc virgo, nimis inscia rerum;
Ille exul patria, & sceptro spoliatus auito;
Detulit huc sortem infensam; nec nostra tueri
Infelix poterit, sua quiqui defendere nescit.
Sed neque Castriotus cupiat sibi funditus vrbem
Euerti, gasámque rapi, ciuémque necari;
Seruari hunc malit; spémque ad meliora reponat,
Quæ sors commodior, vel proxima deferat ætas.
His incensæ inopum turbæ, ciuémque quietis
Spes sapuit; fucum pacis larua obdita fecit.
Seditio tota vrbe fremit, passímque sequuti

Eustathium, pacem inclamant, Turcúmque vocandum.
Iámque ad Charitem legatos proditor ire
Iusserat, & certa pro conditione pacisci.
Zunitem iam turba furens iactante tumultu
Dispulerat; stricto exultat Discordia ferro;
Vulgúsque indomitum Ductorum abrumpit habenas.

XVI.

Virgo fortis.

IAm spes nulla super. Sed spem non abiicit vna
Irene, fortémque animum fidentior armat.
Si vir, ait, iam nemo vir est; iam femina nulla,
Femina sit; sexum ponat, sumátque virilem;
Dux ero. Confestim vocat in conclaue remotum
Matronas, sexum imbellem, vanámque cohortem.
Inflammátque animos. Nos ecce miserrima turba
Tradimur in prædam; iam nos satianda libido
Appetit, & sordent violata cubilia Turcis.
Quid pudor austeras matres, quid gloria lecti
Intemerata iuuat? quídve illibata puellas
Virginitas? matrum in gremio si Turca pudorem
Virginibus rapiat; timido si coniuge coram
Passa probrum, fœdet thalamos & fœdera coniux?
Hæc nos certa manent, spem quando animúmque virilem
Abiecere viri; nec iam meminere decoris.
Quin morimur, tutum faro redimente pudorem?
Saltem illibatæ. Nec nobis corpora desunt,
Non animi per quos mortem subeamus honestam.
Ergo agite, & patriam certa defendite clade;
Turca sciat superesse viros, dum spiritus artus
Hos reget. Ite domos, rapite arma, in mœnia fortes
Scandite mox, ciuem atque hostem depellite portis;
Ipsa adeo, princépsque vltrò discrimina carpam.
Dixerat. Vnanimi properant in tecta volatu,
Matrona & Virgo incensæ, promiscua turba,
Proximáque arripiunt quæ sors cuique obiicit arma.

XVII.

Femina generosa.

EVdoxa in primis animos induta viriles,
Instigat socias, stimulósque ruentibus addit.
Hæc viduata thoro, mœrens iuuenilibus annis,
Diuitias formámque altis penetralibus abdit;
Pluribus exambita procis, pluresque repellens,
Consortis pia busta colit, cinerésque pudicos.
Nunc ardens voce Irenes, quem mater alebat
Pignus Aneximenem thalami, viuámque mariti
Effigiem, in quem vnum geminum vertebat amorem,
Chare puer? dudum matri qui sola voluptas,
Vnus, spes, vnúsque timor; quo vana nepotum
Spetabam seriem, tardósque in secula natos;
Nunc opus, ô fili, primam interscindere vitam,
Et longos resecare annos, seriémque Nepotum.
Mors vna his potior: patriæ, Regíque, Deóque,
Vita datur; longam æquabit mors illa senectam.
Nate agedum; quanquam puer es, nec martia tiro
Hactenus arma moues, duræque es nescius artis;
Cor artem implebit; patrio si sanguine venæ
Intumuere; patri genuit si te pia mater,
Auge animos; vnúmque alta sub mente reuolue;
Pugnanti alterutrum; mors aut victoria; fili,
Hæc tua sors, matrísque: simul vestigia fortis
Subsequar, & pugnam comes indessa subibo,
Spectatríxque tui. Dixit; rapuítque sarissam,
Et gladium, & natum ducens, consortibus addit
Se sociam; rapidus volat ad Prætoria cursus.

XVIII.

Oratio generosa.

HIc Ciuis reduci legato accommodat aurem;
Et iam pacta probat. Foribus fremiti incita turba;

Ardétque admitti; penetrant conclaue receptæ,
Lucentes telis, gladiis, longisque sarissis,
Succinctæque stolas; visis stupuere mariti,
Et patres dubij quò se hæc mutatio vertat.
At prima in mediis Eudoxa his vocibus infit.
Quæ vos exagitant furiæ? quis pellit ab Orco
Spiritus; insanos quis agit furor: Ergo pudorem
Coniugij, & thalamos natarum proditis vltrò?
Ergo colla iugo turpi submittere præstat,
Quàm durare diem? & sæuas perferre catenas,
Est satius, quàm vestram vrbem defendere ferro?
Quandoquidem tanta infregit socordia mentes,
Ite, rapit quó vos metus, aut ignauia pellit;
Ite leues & laribus castis abscedite victi:
Nam superos, & rectorem testamur Olympi;
Incassum hos muros frustráque hanc proditis vrbem,
Nullus in hanc Turca irrumpet. Non amplius illa
Vrbs vestra est; iure hoc caditis; sunt mœnia nostra:
Sunt vires, sunt & nobis tutantibus arma,
Sunt animi; quibus his pellamus mœnibus hostem;
Vósque simul si non vltrò disceditis vrbe.
Perculsum ciuem hoc tonitru, sua quæque maritum
Aggreditur verbis coniux, & nata parentem;
Immiscéntque minis lacrymas, iustísque querelis
Oscula; & inuadunt alterno in pectora sensu.

XIX.

Seditio conpressa.

Consilij extemplò dubios, animísque labantes
Impetit Irene. Subit in conclaue, tumultum
Concordem dum miscet amor, stipante caterua
Virgineâ, & cœtu valido succincta virorum:
(Zunitis nam fidi aliquot vexilla sequuti)
Sub galea lucet, formámque accendit ab ira.
Qualis Amazonios agitans cùm feruida cœtus
Hippolite, Scythicum bellum deliberat ardens
Pellere, & admotas Phasi detrudere turmas:

Ira ornat frontem atque genas; candentia sanguis
Lilia coccineo pingit, Martisque colorem
Induit, & pulchrum suffundit in ora ruborem.
Tum virgo sic affatur, mulcétque rebelles.
O socij, ærumnas passi, durósque labores,
Expungat quos nulla dies,quos deterat ætas
Nulla,nec extremis obliuio labilis annis;
Cæca futurorum quò vos inscitia pellit?
Turcorum tam molle iugum est? tam mitibus vrgent
Imperiis? tam iucundum est seruire Tyranno?
Et meministis adhuc;necdum ingens turba malorum
Mentibus effluxit;, sæui aut periere dolores:
Cùm bona raptabat prædo, prolémque tenellam
Vberibus matrum auulsam, fideique negatam
Maiorum, vestros raptor formabat in hostes?
Cùm vesana puellares impunè libido
Fœdaret thalamos;oris cùm forma decori
Noxa foret;diro insonti plectenda reatu.
Quæ vota ad superos, quos non è pectore questus
Fudistis: Deus hanc vobis auertere pestem
Vellet,& excusso dimittere colla Tyranno.
Annuerat votis Numen,superique fauentes
Castriotum dederant;nec vos piguisse recepti
Arbitror,aut pretij pro libertate redempta.
Idcircò iurata fides,& nomina Regi
Addicta, & bellum ceptum, exhaustique labores;
Et leuiora manent.Iam tota Albania Regem
Conuenit, excitæ properant ad signa cohortes;
Sultanus iam vi parcit,vestróque repulsus
Robore fraudum aptat laqueos, & retia ponit.
Nec clausis desunt vires; sunt mœnia firma,
Est miles ciuisque frequens; sunt martia bello
Instrumenta;famem necdum vehit impius ignis.
Est mihi quo vescar, vobísque est; horrea mecum
Diuidite;annonam,& mensam,& conuiuia læta
Partior; esuries siqua est,erit omnibus vna.
Et vos Templa vocant,& religiosa parentum
Atria,& Angelicis cumulata altaria donis;
Heu mihi!Tartareo fœdanda altaria cultu,

Templáque;& Impietas Crucis expunctura Trophæum;
Id prohibete nefas, reuocate in pectora vires;
En ego pro vestris laribus peregrina, sacrísque
Occumbam, facilémque animam sub mœnia ponam.

XX.

Eruptio.

His dictis conuersi animi; mens conscia crimen,
Patrandúmque nefas patriæ, iam sanior horret.
Exurgunt; veniam, pœnam, bellúmque reposcunt;
Eustathium vinclis onerant, tradúntque necandum
Irenæ; hæc vinctum tenebroso in carcere claudit,
Castrioti arbitrio, luiturum sanguine pœnas.
Ergo placet subito in Turcam prorumpere Marte,
Obruere inceptum primúmque furorem,
Séque cruore hostis, probrúmque abstergere culpæ:
Zunites aciem componit milite lecto,
Portísque emittit Cauno ducente phalangem.
Sed nec femineam prohibet timor ire cohortem;
Inuito Zunite volant, mistæque maritis
Bella lacessitum properant, mortísque pericla.
Eudoxa ante alias, verbo gressúque, micantem
Vrget Aneximenem, & puero mandata retexi,
Sebatij quò castra sedent, ruit impetus amens,
Exundáque furor. Vigil occidit; obuia saltu
Fossa latet; rapitur vallum; patet vndique miles.
Et iam improuisæ cædes tentoria complent.
Non aliter torquens collectam ex Alpibus vndam,
Sisteroniacis emerse Druentia saxis.
In Salyos irrumpis agros, obiectáque claustra
Emoliris atrox lugent Bacchúspue, Cerésque,
Dona rapi; lugent Nymphæ vernantia prata,

Hostis

XXI.

Hostis oppressus.

PEruadit terror mox ferrum, horrendáque strages,
Et falcem mors læta vibrat. Dux impiger haurit
Sabatius fremitum, raptimque armante Sarissa
Progressus, quò turba fugit, se pluribus vnum
Obiicit, & primos corno crispante moratur.
Ardet Aneximenes dignum tirone trophæum
Ponere, & audaci contrà se porrigit ense.
O belli incertos casus! prolabitur ictus
Sabatius, latum excipiens sub pectore ferrum;
Illæsúsque tot in pugnis, ignobile fatum
Inuenit, & mortis probrum est inglorius hostis.
Eudoxam non palma latet; nam lumina nato
Fixa hærent; palmæ illa sibi decerpit honorem;
Sabatio incumbit morienti, apicémque superbum
Ardeola & gemmis, spolium rapit; oráque soluens,
Macte puer, primo donat te munere Numen,
Id spolium Templo appendam. Procurrit in hostem
Ille ferox; ferum tingit iam plurima cædes.
Non aliter pullus, nuper quem vertice saxi,
Et tepido eduxit volucris Saturnia nido,
Picarum infusus turmæ, tenerum exerit vnguem,
Et rostrum prædâ exacuit: clamoribus æther
Insonat, auulsæ volitant cum sanguine pennæ:
Agnoscit sobolem mater, prædámque capacem
Destinat, & magno fulmen portare Tonanti.
Iámque vnus sæuum ferro Masuce retundis,
Obtendísque parem; galeæ sonuere sub altis
Ictibus, & clypeos perfodit mutuus ensis.
Turca ensem capiti impingit; puer obiicit orbem
Ferratum clypei; simul actus in ilia mucro
Perrumpit, Turcus metitur corpore terram.

XXII.

Noua victoria.

TVm Caunus parte ex alia, ſuper ingruit ardens;
Cædibus intendit fortis, prudénſque cohorti
Inuigilat, totum è caſtris ne concitet hoſtem.
Et iam caſtra fremunt. Poſtquam vota irrita ſpectat
Sultanus, ſpes corruptas, Croiæque rebellis
Mutatos animos: ira indignatus atroci,
Corripere arma iubet, totis vim ſiſtere caſtris.
Emicat Oſmanes, primúmque quod obuiat agmen
Educens, radiis ferri colluminat æthram.
Horrendam nubem Caunus, fulménque timendum
Inſpicit, & denſa ruituram è nube procellam.
Regreſſum iubet ære cauo, turmámque receptam
Tutus agit, cliuo molli ducturus ad vrbem,
Aduolat Oſmanes, vrget, timidúmque receſſum
Increpat, inſimulátque metum, turbámque fugacem:
Pungit Aneximenem probri pudor. Ilicet ora
Obuertit, madidúmque enſem, viréſque recentes;
(Inſtaurabat amor pugnæ) iuuenémque ruentem
Excipit enſe puer, magnúmque intercipit hoſtem.
Oſmanes clauſtrum indignans, obicémque furori
Oppoſitum, niſu immani in noua funera ſurgit;
Loricámque petens, chalybem quà denſior offert,
Perfringit; cordis rupti patuere receſſus:
Sanguineo in riuo puer occidit ore ſupinus.

XXIII.

Matris luctus.

INterea pergunt Croiani inſiſtere cliuo,
Et tuti euadunt. Mater ſed queſtibus obſtat
Eudoxa, & nati ſpolium corpúſque requirit.
Vos miſeram ciues matrem ſine pignore charo
Deſeritis? Saltem extinctum mihi reddite natum,

Viuum

Viuum quem dederam; liceat tumulare cadauer,
Exequias facere, & patriæ donare dolorem.
Dixit; & obiectos cursu se condit in hostes.
Extemplò matrem milésque ducésque sequuntur,
Matémque instaurant. Primo simul impete Turca
Pellitur: ad natum properat, pondúsque cupitum
Festinans Eudoxa rapit; tum cedere sensim
Croianus, fossâ admitti, portámque subire.
Caunus in extremis Osmanem sustinet; imber
Ferreus è muris, crebra nigrante sagitta,
Impluit; & Turcam telorum grando retundit.
Irene ad portam gaudens admittit ouantes,
Amplexa Eudoxam, & verbis solata dolorem.
Illa bis è pugna victrix, hostisque suique,
Postquam onus optatum posuit, lacrymásque repressit
Furtim irrumpentes, gemitúsque in pectore fregit:
En ait; ô Regina, fides, iuratáque verba:
Sic patriæ seruire libet; sic perdere vitam,
Lucrarique iuuat. Felix in secula nate,
Quem vitam patriæ primis posuisse sub annis,
Ipsa vrbs, seruatique lares, ac mœnia dicent.
Nec piget orbatam nato, producere luctum,
Laus mihi pro nato est; heres mihi gloria famæ
Immortalis erit; subigent hæc gaudia luctum.
Miratur matrem Irene, funúsque superbum
Curat Aneximeni, laudémque insculpit in vrna.

XXIV.

Occursus inopinatus.

At *variis* Memnon vexat discursibus agros,
Pabula si Turcis rapiat, sparsásue phalanges
Obruat, excubiis instans, castrisque molestus.
Hic Halyo fortè occurrens, dum calle latenti
Eugeniam abducit, tacitisque elabitur armis;
Aggreditur pugnâ, primâque interficit hastâ,
Gutture confixum, & vitæ spiramina sectum.
Diffugiunt comites; claudit lectica puellam,

Ignaram

Ignaram rerum,& sortis mala fata querentem:
Sicut erat,clausam Memnon deducit in Arcem,
Et sistit donum Albano. Postquam illa retexit
Os pulchrum, & nitidum Titana è nube reduxit;
Rex hæret formâ attonitus,Cypriámque putaret
Esse Deam, si prisca fidem mendacia seruent.
At Memnon vana se credit imagine ludi,
Perstrictos simulacro oculos,& somnia pingi;
Mens oculis negat inspectum. Spectacula tandem
Postquam vera putat, nec inanem Virginis vmbram;
Vt ferri abiectum pondus, quod mole rigenti
Vestæ hæret, fabri multo sudore mouendum;
Æthera si Magnes nigro splendore coruscat,
Spirituúmque ferax,Magicos circùm eiibrat hamos,
Exurgit moles onerosa, & præpete cursu
Aduolat ad lapidem,& sensum iam nobilis haurit:
Inspectat Natura suas miracula vires,
Ignarósque homines ludit, studiúmque Sophorum
Sic Memnon mærore æger, tardúsque dolore,
Quando Helenam videt, & vultu sese implet amato;
(Namque Helenam Numen per tot discrimina seruat,)
Lætitia rapiente artus, ad virginis ora
Applicet ora amens, nisi casta modestia frænet.
Quod licet,in verba erumpit.Túnc illa sepulta
Ignibus;an viuis post dira incendia?quæ sors
Prospera, quod Numen vitæ dedit? aspera mortis
Tela quis infregit?felicia gaudia Memnon
Carpe:dolor pereat. Sed vocem hic gaudia rumpunt,
Effarísque vetant.Lætos & pectore motus
Virgo capit,pellítque metum, sæuúmque dolorem.
Nam data libertas, & amanti erepta Tyranno
Virginitas,secura fides, sperata parentis
Ora, & dilectus Memnon post fata receptus
Credita,mentem implent hilarem,luctúmque resoluunt.
Quanquam & Amor qui lætitiam,mouet ipse dolorem,
Iam vetitus, Memnónque animo votóque repulsus.
Post animi hos motus,virgo tranquilla,salutat
Castriotum,patrem Croiæ sub mœnibus audit
Degere,& implicitæ narrat miracula vitæ.

XXV.

Salus inexpectata.

S*Pitigradam* qui me casus, quæ fata tulerunt,
Memnonis acceptum credo, Rex optime, dictis.
In Laribus Claræ pressam sopor altus habebat,
Nocte illa; miseris tantorum heu fonte malorum!
Cùm tristes gemitus, & lamentabile murmur
Audiri, & subitis percelli questibus astra.
Præcipites thalamis, quærendo, lugubre factum
Accipimus; captam Turcos sæuire per vrbem,
Auxilij superesse nihil. Nos turba pauemus
Fœminea, & rerum dubiæ, spem perdimus omnem.
Ancipites grauiora vocant; domus ignibus alta
Conflagrat, totásque furor despacitur ædes.
Discurrunt sociæ; series me tanta dolorum
Opprimit, & statuo præsentem admittere mortem.
Dum mentem obfirmo; forma puer ecce decora
Ire iubet, quò tuta fugam vestigia ducent:
Inde fores versus tendit; mens funeris illa
Effluit; incendit noua spes, vitæque cupido.
Me puer incolumem per sparsa incendia ducit,
Per bellantum iras, prædatorúmque furorem:
Cæsaries lfaculas fundit; radiata corona
Molle caput cingit, crineísq illuminat aurum.
Hæc mihi fax, hæc vna pharus: Spectacula quæ vox
Tristia denarret? quis funera, sanguine riuos
Manantes, lacrymas, planctus, vocésque cadentum?
Et quanquam properare metus me cogeret amens,
Et dux ipse ageret; tamen his vocem auribus hausi,
Captam Arcem & duro sublatam Memnona ferro.
Ingemui, fateor, lacrymásque in funera volui,
Hunc inter luctum, & variæ spectacula mortis.
Illæsam refero puero præeunte salutem,
Flammam inter ferrúmque; & quò vestigia signat
Dux puer egredior, permissa patentibus aruis.
Tunc oculos fugit ille meos, vacuásque per auras
Illapsus, curas reuocat, trepidúmque pauorem,

Nox

Nox terram,cœli faciem caligo terebat?
Nec fumus signare casas,nec vox animantum,
At campi circùm per mœsta silentia lugent.

XXVI.

Rure seruata.

SOla quid instituam; supplex prece Numen adoro,
Expectóque diem. Currum sol primus agebat,
Luminibus vastos longè dimetior agros,
Et casulam procul inspicio. Dat gressibus alas
Ipse timor; celeri rapior per deuia cursu,
Necdum fessa casam teneo; quam Numen asylum
Iactatæ dederat, tutúmque per æquora portum.
Rusticus has senio longo grauis incolit ædes,
Æquæua & coniux,æqui iustíque tenaces,
Vrbanis ambo curis vitiisque remoti.
Hi me complexi studiis animisque paternis,
Mœrorem postquam abstergunt: tum blanda voluptas
Securæ irrepit, tranquilla per otia vitam
Mitigat, & primæ sortis restinguit honorem.
Grex ouium tener implebat balatibus agros,
Hunc pasco,& ne quid prima de sorte supersit,
Méque abdam totam inuidiæ; texta aurea pono,
Agresti sub veste latens: fuit illa puellæ,
Quam nuper meus ille hospes sibi funere raptam
Extulerat, donátque dolens stola texerat,inquit,
Hæc natam, quam mors nobis auulsit acerba;
Filia sis Virgo nobis, matrémque patrémque
Nata cole,& falsos ortus amor impleat ardens.
Flebat vterque memor natæ, sed postea natæ
Immemores, in me toto mox pectore flagrant.

XXVII.

Vita rustica.

PAscebam secura gregem, & felicia ducens
Otia, naturæ donis tranquilla fruebar.
Nam modò camporum subrecto è colle videbam
Æquora,

Æquora,planitiem latè complexa fugacem;
Valle ſub obſcura latitans modò,frigus in antro
Captabam viridi,dum campus aduritur æſtu.
Gaudebam Auroræ primas luſtrare corollas,
Quas roſeas texit; manuum candente liguſtro,
Inſpergítque viam Solis;iubare ille coruſcat
Aurato, & totum radiis colluminat orbem,
Et vidi prono dum terræ incumberet axe,
Et vultum ornaret textu variante colorum;
Nubila circumſtant, tenui rorante liquore,
Seu madeant fletu,ſpargant ſeu funus amomo.
Ipſo læta die, ſyluæ ſub frondibus altis
Carpebam ſomnos; teneráve in cortice fagi
Scalpebam inducto chariſſima nomina ferro.
Sæpius ad gelidi recubabam gramina fontis,
Ora lauans, ſedánſque ſitim; riuúmque ſequuta,
Quem fons irriguus per prata virentia ducit,
Contextu ſalicum, ripámque vmbrantibus alnis,
Herbas calcabam pede molli, & florea ſerta;
Dum paſcuntur oues;aries nam ſponte ſequentes
Ducebat,per rura vagas, & gramina nota.
Nox ruit interea,cœlóque illapſa ſereno,
Sideribus depicta nitet; nec gratior vlla
Viſa poli facies; placido nec tradere ſomno
Membra vacat;mens fixa polo cœleſtia voluit.
Sed nulla humanæ ſtatio benè fida catinæ;
Inuida ſeceſſum rapuit fortuna latenti,
Militibus ſum præda vagis. Tunc plura volenti
Dicere,funduntur lacrymæ; pulchra vbere riuo
Ora madent, teneróſque vrgent ſuſpiria fletus.
Caſtriotus verbis ægram ſolatur,& vltra
Sermonem abrumpens,meliora in tempora differt.

Finis Libri ſexti.

SCAN



LIBER SEPTIMVS.

ARGVMENTVM.

MAHOMETIS pugna ſingularis, & victoria.

SCANDER

SCANDERBEGI
LIBER SEPTIMVS.

I.

Zelotypia Orco emiſſa.

EXTEMPLO Fama Æmathias diffuſa per vrbes
Diuerſos Helenæ caſus, fauſtéque receptam
Nuntiat, & magno formoſam exaggerat ore.
Sed voces curſúſque citos ante occupat Orco
Zelotæa furens, virúſque effundit in orbem.
Tartareum hæc monſtrum, in foribus ſtabulatur Auerni,
Pœnis torta ſuis, flammæque auerſa rapaci.
Frigore nam Scythico, niuibúſque obducta gelatis,
Horrendùm cruciata gemit; circùm horrida tecta
Flat Boreas, glacies pendet laquearibus altis,
Alternóque gelu mœſtum conclaue rigeſcit.
Hanc ſociam pœnámque trahit laſciua cupido;
Et luat hæc pœnas glacie, luat altera flammis;
Mutua nec præſtent ſolatia; nec rogus alter
Accendat glaciem, frigúſve extinxerit ignem.
Attamen abruptis ſæuit cúm libera vinclis,
Et caſtos, tanta improbitas conturbat amores,
Et multis ſancita annis nubia quaſſat.

II.

Irenes zelotypia.

ILla igitur, postquam Astartes vincla ærea rupit,
Et licuit furere, & vesanæ incumbere pesti;
Famæ habitum vestit: pictæ aures, oráque centum,
Et totidem linguæ; litui sonat æthere clangor;
Et Croiam primùm celer aduolat. Hic vbi vulgò
Sparsit formam Helenæ, patri retulitque repertam,
Irenem aggreditur, penitisque infusa medullis,
(Corpora nam Monstro atque animos inuadere fas est)
Albano placuisse Helenam, flammisque receptis
Ardere, & mendas incendia mutua fingit,
Virgo gelu subito horrescit, pallore genarum
Extinguente rosas; frigúsque per ossa vagatur.
Non aliter teneræ moderator arundinis hæret,
Si fortè implicita rapuit Torpedine prædam;
Dextra riget, nerui torpent, fusúmque lacerto
Virus, in adstrictos momento expanditur artus:
In lacrymas durum it frigus, gemitúsque molestos;
Anxietas, curæque graues, & tædia longa,
Tristitiæ fœtus, animum implent. Saucia tandem
Sic fidam Catarim affatur, vulnúsque retractat.
Audisti famam Cataris? prænuntia veri
Auribus illa tuis, Helenæ narrauit amores
Castriotíque mei! quanquam mutabilis ille
Desiit esse meus, formáque accensus inani,
Votorum oblitus, fallax noua fœdera iurat.
Forsitan & vultum amisi, nec in ore pudico
Vlla super pulchri est species, aut forma venusti.
Sed speculum verax, & flos iuuenilibus annis
Integer: at curâ nimiùm libata recenti
Lilia, pallentésque rosæ, fulgúrque oculorum
Languidius, factam insimulant num perfide noxam?
Vicerit at formâ; num me superabit amicis
Officiis, quibus immemorem ingratúmque reuinxi?
Non ego bis captiua fui, non aspera collo

Vincla

Vincla tuli, nec Turcorum ludibria passa,
Irrepsi in thalamos. Patriam charósque parentes
Deserui, Croiæ fregi bellúmque famémque,
Et sponso regnum asserui, peperique labore:
Et nunc ille mihi vili de compede raptam
Antetulit, longum fallax oblitus amorem.
Id superi facinus. Perstabo, vrbémque tuebor;
Hostibus vt victis, cùm tot cumulauero dona,
Exprobrem ingratam mentem, celerique regressu
Me patriæ reddam optatæ, gremióque parentum;
Heu lacrymis pascenda meis! Solatia præbet
Lugenti Cataris, famámque eludit inanem.
Derogat illa fidem dictis (nam pectore sæuit
Monstrum algens) luctu & tacito maciata liquescit;
Æquam animi febris vexat, capitque medullas.

III.

Isbella zelotypia.

TVnc Monstrum magno alarum trans æquora plausu
Inuehitur, Venetámque latens contendit in vrbem.
Postquam Helenæ formam dicit, nuruúmque lacessit
Inuidiam, Isbellæ castas diuertit in ædes,
Toxicáque infundit miseræ, virúsque nefandum.
Bragadinum insanis mentitur amoribus vri,
Nec iam consortem meminisse, aut fœdera lecti.
Credula mendacem admittit, subitóque veneno
Percita, questu implet Superos, & fletibus ora.
Túne tori sacras violasti perfide leges?
Isbellæ sic verba tuæ, iuratus amorem
Perpetuum, quem nulla annis temerauerit ætas,
Isbellæ sic verba dabas? erat illa cupido
Gloriæ,& ambitæ laudes? hic Martius ardor?
Scilicet vt primi periurus transfuga lecti,
Impuras caperes lasciuo in pectore flammas:
Haud impunè, reor, veniam, testisque solutæ
Per crimen fidei, coram implacabilis hostis
Ipsa adero, sceleris, diræque libidinis vltrix.

Dixit continuò vestem mutata virilem,
Vna viæ comes est simili sub veste Camilla,
Clàm pinum inscendit, versóque ad littora cursu
Æmathia, irarum fluctus super æquora portat.

IV.

Mahometes zelotypus.

NEc Monstro pestis satis est, stragísque refusæ;
Turcica præcipiti tendit sub castra volatu,
Inque Machomentem frigus brumámque rigentem,
Pectora sex quantùm caperent, defundit abundè,
Séque animo totum immiscet, versátque furentem.
Somnia falsa mouet; riualem Memnona falsæ
Adstantem Eugeniæ, raptæ dantem oscula dextræ,
Virginis illecebras, nutus, oculósque loquaces.
Excutit indignans fusum per membra soporem,
Et tabo grassante intus, Monstróque premente,
Insanit rabidus. Túne interuertere amores
Ausus, túne meos? Tu vilis homuncio regni
Quisquiliæ, solium prodens ignauus auitum,
Nec sceptrum tractare ausus; vim ferre puellis,
Sultanas rapere, & mecum contendere possis?
At te ipso cædam in gremio; bibet illa cruorem
Sponsa tuum: sparsos dextrâ tunc colligat artus,
Osculáque infigat. Nimium iam cesso, furórque
Incassum perit: Albanam quid proditor arcem
Insidet? hac tutus quid vana opprobria iactat;
Quin ipsum, Albanúmque simul premat vna ruina,
Lugeat & socors alienos raptor amores.
Sultanum hinc vrget præceps, exscindat vt Arcem
Funditus, & rapto prædonem extinguat asylo.

V.

Captiui mactati.

ET *mens* illa quidem patris eſt, poſtquam impia iuſſa
Orcani implerit, captóſque ſacrauerit Orco.
Aſtartes nempe inſtabat, dirúſque ſatelles
Orcanus, quos ſeruarat ſæuiſſima clades
Spitigradæ, ſectæ auctori mactare Prophetæ.
Optatum fallax, iræ & præpoſterus æſtus,
Qui quos aptabat Cocyto, immitteret Aſtris,
Dum rapiunt Superi donum, quod Tartara ſignant.
Iámque aderant bis mille, manus poſt terga reuincti;
Nobilitate ſati priſca, ſimul infima turba
Artificum, miſti paſſim famuli dominíque.
Sanguine fundendo illuſtres; diſcrimine nullo,
Quod Chriſti niſi fecit amor. Sultanus eburno
Conſidet in ſolio; ſtat celſam Orcanus ad aram,
Impuróque Machometi demurmurat ore
Arcano, voces magicas Erebíque ſuſurrum.
Circumſtat turbam innocuam, ferrúmque ſatelles
Expedit, & toruo accelerat fera funera vultu.
Supplex turba viri expectant; nam femina ſeorſum;
Figentéſque polos oculis, dant colla ſecuri.
Ac ſimul Orcanus ſignum voce impius edit,
Irrumpunt diri in vinctos, ſtrictáque bipenni
Colla ſecant; triſtis capitum cadit vndique meſſis;
Calcantur trunci; ſanguis fluit amne cruento,
Purpureíſque inter truncos deuoluitur vndis.
Non aliter florum candentia lilia reges,
Dum calicem terſum expandunt, auróque micantes
Tudiculos, celſo areolas dum vertice pingunt;
Si dira incumbit nubes, imbrémque procella
Grandineum fundat, telíſque euerberet hortos;
Lilia cæſa caput cœnoſo in puluere ſquallent,
Sparguntur folia, & lugent fata improba Nymphæ.
Spectat Amurates, totúmque inſana cruorem
Ebibit ira, omnes cuperétque ſub enſe reponi
Chriſtiadas; tantùm eſt odij, tantúmque furoris.

VI.

Mater pro filia.

Tunc postquam in cumulum reuoluta cadauera surgunt,
Fitque nouæ stragi spatium; deducitur ecce
Feminea imbellis turba, & longo agmine, nullo
Ornatu, in gemitus spectantum pectora soluit.
Hæc natum, hæc patrem, truncum videt illa maritum,
Aut vidisse putat; nec enim pia lumina cladem
Secernunt; lugent sua quæque & publica damna.
Dúmque oculos chorus ille tenet, matrona pudicum
Splendorem irradians & maiestate decora,
Oris quæ specie vilem exornabat amictum,
Ad solium accedit, dominúmque hac voce precatur.
O vitæ mortísque potens, cui rector Olimpi
Permisit sortem nostram, casúsque futuros,
Respice, & vnius genitor miserescе parentis.
Anna vocor, clara maiorum è stirpe, Leonis
Illa ducis coniux, quem mors iugulauit honesta
Spitigradæ, patriæ inferias, & nobile funus.
Et geminos fratres, vna temulante ruina,
Cognatósque omnes luxi; natum quoque flammis
Ereptum & ferro, tua nunc mandata necarunt.
Nec queror; imò vltrò ceruices porto secundas
Ipsa meas, funúsque nouum tot cladibus addo.
Nec venia sum digna tua. Si quid tamen iræ
Restinxere preces, si qua clementia menti,
Est cui parcat adhuc. En virgo, extrema parenti
Progenies, vitam prima libante iuuenta,
Nec votis infensa tibi; sit virgo tuarum
Materies laudum; non multùm hoc sanguine lucri est.

VII.

Filia pro Matre.

SIc ait. At dudum rapiebat lumina virgo
Spectantum, atque animos ad se flectebat & ora.
Non secus ac terras postquam caligine soluit
Hesperus, & prima radians luce afflat Olympum;
Excutiunt somnum volucres, nidóque tepenti
Arrectæ, expectant oritura crepuscula Phœbi.
Mox vbi sol radios expassum emisit in orbem,
Et syluas iubare irradiat, nidósque latentes;
Erumpunt volucres, gratóque per aëra plausu,
Cantibus inter se ludunt, luménque salutant.
Sic matrem nata obscurat, tenebrásque refundit
Lux maior,duo lustra triplex cumulauerat annus,
Iámque annos supra, species se corpore prodit,
Digna coli:frons lata nitet, nitet ore ligustrum
Et rosa; nigrantes lecti nullâ arte capilli
Luce vibrant, nigris pupilla sub orbibus vrit.
Illa,vbi firmauit collecta modestia vultum,
Nec prohibet pudor ore loqui; tum lumina tollens,
Lumina Marmaricos emollitura leones,
Sultanum affatur.Mea si non verba cohærent,
Si Domini feriat sermo turbatior aures
Parce rudi; solitæ miscere domestica matri
Colloquia, affaríque virum non hactenus ausæ.
Quanquam non longis opus est ambagibus; vna
Meta precum est; nata occumbat,si libera mater
Has natura preces,ius vota sancit,amorque
Inditus, vt vitam danti mens grata reponat,
Et lucem ferat auctori,quo luce potitur.
Hæc paucis. Stupuit lictor,stupet inscia mater,
Miratúrque animos,& quæ non pectora fecit.
Tunc augens atque ipsa animos,natæque periclo
Fortior;Euphrasiam, (nam sic dixere parentes)
Alloquitur;geminatus amor formidine crescit.

VIII.

Vtriusque contentio.

QVò vota aspirant; quid rerum ignara reposcis;
Nempe necem; teneræ vix dum primordia vitæ
Exorsa, & primo cursum de carcere signans:
Viuere disce priùs, dein morte occumbere disces;
Præmia Mors; pugnantem vnum manet illa Corona.
Quid mihi Naturam, iuris legúmque perita
Scilicet, obiectas; non hæc edocta tenebas
Materno in thalamo, nec talia texere pensa
Institui: ius nempe vnum est, parere iubenti,
Naturámque sequi; iubet illa superstite prole,
Patres occidere, & matura capessere fata:
Obturbas tamen hanc, inuersóque ordine, tentas,
Per scelus & bustum & cineres inuadere matris:
Nec lucem raptura dedi; genuere parentes
Victuram sobolem, votum gignentibus vnum est,
Sit super vt proles; bis enim pater ille peribit,
Bis mater, quos natorum iam funera tollunt.
Túque ô, quando finit Numen, vitæque necisque
Arbiter, insontem, iustum est, seiunge nocente,
Pœnam noxa ferat: potuit nihil illa, nec ausa est;
Virgo rudis, manibúsque animóque crepundia tractans.
Vna ego deliqui, tua sceptra reuellere votis
Ambij, & armato commisi in coniuge pœnam.
Impleat iustis dominum sic Anna querelis.
At virgo lacrymis in opem precibúsque vocatis,
Effusa amplexu tenero per colla parentis;
Tu natam genitrix, tu me tam barbara linquas;
Me gremio auelli pateris; prædæque pudorem
Esse sinas, nec te moueat quibus ipsa relinquor.
Præstabat positæ in cunis materna negare
Vbera, & occasu mutare crepuscula vitæ.
Nam quid peccaui; quo te puerilibus annis
Offendi scelere; in iuuenem dum firmior ætas
Erigit, obsequiis minus an tua iussa facesso;

Mater

Mater cede, manent insana pericula natam,
Ni moritur; naui fractæ ne detrahe portum;
Te leuiora vocant, scopulorum vndæque peritam.

IX.

Amuratis crudelis Clementia.

Ista querens, dabat amplexus, dabat oscula matri,
Miscebat flenti lacrymas, gemitúsque gementi.
Et iam spectantum soluit miseratio pectus,
Sultanúmque premit: velit hic parsisse puellæ,
Impietas vetat, & duro præcordia ferro.
Frustra, inquit, pugna hæc; dirimat concordia litem;
Eiurate fidem infirmam, Machometica sacra
Accipite & certum vitæ dispellite finem,
Alterutra id præstet; parcat Sultanus vtrique.
Ergo agite, & vana faciles discedite pugna;
Vestræ opis est optata salus. Tu lactea virgo,
Vix imbuta fidem, tanto genitricis amore
Si caperis, serua perituram, & desere Christum.
Extemplò sese mutis aspectibus ambæ
Fixerunt, gnaræque oculis quid mente lateret,
Mutua complexæ niueis dant colla lacertis;
Occumbamus, ait virgo; iam vita superstes
Alterutri, scelus est; iam vitam extinguere summa est
Gloria, & æternæ pandit mors limina vitæ.
Vnum te moritura precor; da fata priorem
Claudere, da primam peruadere limen Olympi.
Te plausu excipiam venientem, atque oscula iungam.
Gaudens Anna refert. Felicem albóque notandum
Hunc adamante diem! non hæc ego pectora finxi
Nata tibi, docet ista Polus, Numénque magistrum.
Vade age, quò te vis agitat diuina, præito,
Ipsa sequar, tuáque ingrediar vestigia longè.
Mox gemitus lacrymæque hærent; cœlestia regnant
Gaudia, in optatis mors est, sunt tædia lucis.

X.

Mater & filia perimuntur.

ET iam lictor adest, vrgent iam iussa Tyranni,
Gratósque amplexus soluit moritura puella,
Dein cœlo defixa oculos, afflatáque mentem
Igne sacro, Meritas, inquit, persoluere grates
Quando lingua nequit, soluet, Deus optime, sanguis:
En nostro de fonte fluet, quod crimina vitæ
Abluat; infractas hæc sanciet hostia leges.
Tu modò perficias ceptum. Pòst, lactea nudat
Colla manu niueâ; niuibus quasi lilia iungat;
Purpureus tegit ora rubor, quia colla paterent
Luminibus; mors est, leuiter libasse pudorem.
Nec mora, componit vestem, casúmque decenter
Occubitura regit; submisso poplite, ferrum
Fixa manens. Certo abscissum caput auolat ictu,
Emanátque liquor, mendaci nectare diuûm
Purior, aut succo redolens quem fundit Hymettus.
Trunco hæsere manus, rexitque modestia casum.
Haud aliter tenero iuuenis Luscinia nido,
Accipitris rapta vngue perit; fit prima reuulsum
Præda caput, reliquos furor hinc desæuit in artus:
Horrescunt syluæ, querulo Philomela susurro
Aduolat, & dirum raptoris prouocat vnguem.
Anna vt dilectæ spectat trunca ora puellæ,
Spémque metúmque omnem extinguit; secura, necísque
Certa suæ: capiti auulso spissa oscula figit,
Sic effata. Faue matri, quæ sidera calcas,
Empyreis admissa polis; iam rector Olympi
Virgineos augere choros, Superúmque cateruam
Te iubet; î felix precor, & miseresce parentis.
Hæc vbi dicta; tenens natæ spolia indita, ferro
Cæditur, & miscet capiti caput, artubus artus.
Occumbit pia turba simul, ferrúmque vagatur
Immane, & strages edit per colla securis.

XI.

Helenæ fuga.

AST Helenam sua cura coquit; Vexátque cupido
Memnonis, angorémque creat, turbátque quietem.
Ille licet casto flammam sub pectore puram
Incendat, thalamúmque optet iustósque Hymenæos,
Attamen vrget amans, & Amatæ incumbit amori
Sollicitus, queritúrque procus pia vota repelli.
Nec virgo flammam odisset; nisi sacra Tonanti
Virginitas, thalami excisi, votóque profanus
Pulsus amor, criménque forent connubia iusta.
Illa diu postquam arcanam sub pectore pugnam
Pertulit, & casto certantem Memnona voto;
Peruicitque Deus, nec iam vestigia flammæ
Sunt super; ardenti appellat conamine Numen;
Et statuit procul esse loco; ne pugna teneret
Perpetua ancipitem, aut voti victoria nutet.
Zunitem petat illa patrem, sed Turcica castra
Ire vetant, & nata nimis regnantibus ora.
Anxia dum versat curas, à Memnone discit,
Esse vndam Drepano medicatam, igníque liquatum
Artifici succum, vultus quo forma decórque
Intereat geminósque dies occulta latere
Sub Mauro possit species, rursúmque nitere
Qualis erat. Fraude hac Drepanus speculator adibat
Tutus Amuratem, retegebat & abdita vallo.
Virgo dolum sanctè instituit, precibúsque fatigat
Memnonem, vt à Drepano pretiosas impetret vndas.
Quid non vincit Amor; medicato munere virgo
Exultat, fraudémque piam, facinúsque capessit.
Extrema iam luce ardens succo illinit ora?
Induerat cultum Mauri vestémque paratam;
Si qua fides, speculo explorans, mirabilis vndæ.
Cùm subito primam videt euanescere formam.
Labra tumere, oculos introrsus in orbibus abdi.
Lilia restingui, toto vaccinia nigra

Spargi

Spargi ore,& cirro cogi breuiore capillos.
Extimuit versos vultus, séque ipsa requirit;
Lugeat & formam, licet hanc restinxerit vltrò.
At postquam obfirmat mentem, Numénque cupitis
Aspirare videt; prima sub luce latenter
Egreditur, petit & fidens hostilia castra,
Virginitas simul incedit, custósque puellæ
It Pudor, & Votum gratissima vincula nectens.

XII.

Helena captiua.

INterea Orcanus pelui dum consulit Orcum,
Et solitas agitat curas, inspector aquarum;
Anxius, an felix Mahumeti irruptio, & Arcem
Eruat; infensis videt hanc procedere fatis;
Aduersámque Duci; simul & prohibere nefastam
Constituit, promptáque auidos auertere pugna,
Quærentique modum Astartes arcana reuelat
Virginis,& Mauri specie quæ præda lateret,
Monstrátque in pelui. Sed nec Magus hæc super hæret,
Gnarus consilij: vallum & tentoria cautus
Explorat, Mauri valeat si noscere vultum.
Nec labor est. Formâ Virgo confisa recenti,
Intendens per castra viam, dum mœnia Croiæ
Clàm peteret, studium cura simulabat inani,
Orcanum sed iussa sequi, conclusáque, sortem
Pertimuit, stygiósque dolos absterrita sensit,
Ast Erebi famulus Mahumetem hac voce moratur.
Quid præceps pugnam instituis? quid belliger Arci
Impendes? noui Iuuenem quid pellat in arma;
Zolotypæa premit. Sed frustra in Memnona sæuis,
Albanúmve Helenæ cupidus: iam longius Arce
Illa fugit; iam iam nostris contermina castris
Vallum intrat, iam iam inspicio, tenéoque pauentem;
Proxima cúmque dies tumulabit in æquore lucem;
Hanc sisto Mahumete tibi, pulchra ora tueri
Fas erit, & miscere sonos, & iungere dextras.

Mitte ferum Martem, & Veneri te trade vocanti.
Ilicet exultat Iuuenis; ſpéque excitat ignem;
Nec bellum curæ eſt: patri mora nectitur ampla,
Extrahiturque dies; quanquam mora longa videtur.

XIII.

Helenæ pulchritudo.

TVrbatur curis Helene; lucémque ſecundam,
Sollicito perculſa metu, iam conſcia luctus,
Tranſigit, & primam metuit pro funere noctem,
Et iam ſtellifero Venus ignea ſurgit Olympo,
Auricomi dux prima chori; cùm Virgo ſedebat
Ad ſpeculum lugens (præbebat lumina lampas(
Et pia vota Deo, mulier quæ nulla, ferebat,
Non formam acciperet, vel turpia perderet ora.
At ſenſim candor malis nigredine lapſa
Funditur, & roſeo miſcent ſe lilia cocco;
Fronte liguſtra nitent, labiorum detumet horror,
Laxior expandit crinem annulus, oráque circùm
Riſus ouat, lacétque oculis radiantibus ignis.
Iámq; Helena eſt. Quam cùm inſpexit, formámq; receptam,
Ora nigrans lacrymis, & pulſans pectora planctu.
Quid me forma meis prodis contraria votis?
Infelix donum: quantos infenſa dolores
Ærumnáſque paris? binis latuiſſe diebus
Tam durum eſt? At ſi tranquillam improuida ſortem
Mutaſti, haud caſtos mutaueris improba mores
Imò cæca peri; quæque in diſcrimina mittis,
Prima ſubi; tuta eſt formâ pereunte puella.
Hæc ait; & dura deſæuit in vbera palma,
Confunditque comas, fletúque abſumit ocellos.

XIV.

Mahometes repulſus.

INcenſæ Mahumetus adeſt, palmáſque feroces
Arripiens blandè, blando ſermone dolorem

Demul

Demulcet; formæ supplex meliora precatus.
Illa vbi composuit mentem, vanúmque furorem;
Séque iugo pressam aduertit, tranquillior infit,
Sum tua; quando equidem cogit violenta tyrannis;
Iniice vinclorum nexus, preme pondere corpus
Molle catenarum, pereant sub compede gressus;
Non querar. At menti si vis iniusta paratur
Si castos temerare artus, si virginis ora
Delibare ausis; hæc me mea dextra necabit,
Libertate ferox; frustra me perdis amando,
Frustra ignes, studium & curas impendis inanes;
Me sponso addixi, quid vota profana retractas?
Iuraui, thalamíque volens connubia sanxi.
His Iuuenis perculsus amor, zelúsque nouatus;
Postquam se condit conclaui, iræque remittit
Frena furtus, nullásque audit violentus habenas,
Atque Helenæ putat esse ratum cum Memnone fœdus;
Sic ego ludor; ait, sic me in ludibria iactat
Extorris vilísque homulus; sic serua iubentem
Flocci habet? & coram sceleratam obtendere flammam
In mea vota potest, turpísque opprobria lecti?
Atque audax conscire necem, & sua fata minatur.
Accelerabo minas, extinguam incendia cæca,
Immemorémque mei tollam. Nimis illa furorem
Asperat, & dudum contemptu oppressit amorem.
At prius occidet hâc pulchellus amasio dextrâ,
Pectore cor vile abrumpam, sponsæque cruentum
Obiiciam, sponsam inferias dein Manibus addam.

X V.

Mahometes prouocatus.

HÆc Princeps. Memnon simili percellitur æstu
Irarum, & simili turgent præcordia zelo.
Hic postquam accepit, Drepano referente, puellam
Versari in castris, tanti riualis amores,
Et votis addictam Helenam: vix ambigit, illa
Quin vltrò Turcam ambierit. Tu perfida castos

Sic

Sic lusisti ignes; sceleratam pessima flammam
Sic tegis? & votis contraria vota retundis?
Scilicet, ille fuit quem flamma ardere pudica
Iurasti, & dignum cedant cui fœdera nostra:
Scilicet, ille fide impurâ, dira illa parentis
Progenies, quo Smyrna perit, soliúmque paternum,
Eruitur? premit antiquos hic Barbarus ignes;
Haud impunè puto. Valet hæc mea dextera ferro;
Vota interiungam; fœdásque extinguere tædas
Si nequeo, vincla abrumpam, sponsúmque necabo.
Hæc ait; & Drepanum fidens hac voce precatur.
O cui castra patent hostilia, quique recessus
Securo lustras aditu; tutam indue laruam,
Verba Machometi refer hæc. Si pectore pollet,
Quantùm perfidia; rapuit quámque arte puellam,
Tutari si Marte potest, consorte pericli
Vno adsit, lancem Memnon certaminis offert;
Dignior esto Helenâ, qui vicerit; æmula nescit
Flamma parem; alterius, thalami vel funera, sors sit.
Exequitur iussum Drepanus; pugnáque cupita,
Ardet Turca ferox, sociúmque adsciscit in arma
Osmanem; & prima progressus ab aggere luce;
Clàm patre ignaro, præceps contendit in hostem.
Memnona nec leuior flamma incoquit; ille vbi muris,
Bragadino comite egreditur, secretáque fingit
Consilia, exultans riualem incumbit in vnum.

XVI.

Prælium singulare.

POstquam in conspectum bellantes mutuus ardor
Impulit, & sæuas licuit procurrere in iras.
Túne meos, inquit Memnon, prædaris amores,
Terrarum infamis prædo, mundíque Tyrannus?
Credo equidem, thalamis aptus, verbísque pudorem
Fallere, & insidiis trepidum circumdare sexum.
Nunc fraudes & verba procul; nunc pectore forti
Est opus & ferro. Mahumetis non tulit ira

Plura loqui. Ferrum dextra hæc; non verba reponet.
Dicit; & alipedem stimulis premit. impetu ab vno,
Bis gemini simul incurrunt; nec buccina signum,
Dat sonitu; sibi cuique suus fit buccina feruor.
Hinc illinc gemini æripedes, quatiente subactum
Calce solum, visi ventos præuertere cursu.
Hinc illinc clypei resonant ingentibus hastis;
Corpora stant, fragmenta volant, offunditur æther.
Non secus ac pulsæ remis in prælia pinus,
Infindunt pelagus tonsis, spumámque sonantem:
Ac simul, aduersas rostro feriente carinas,
Incurrere, vago subter tremit æquore Nereus,
Franguntur tonsæ, pulsant se immania rostra,
Pinusque annexæ diro se Marte lacessunt.

XVII.

Mahometes vulneratus.

OSmanes artem docta exercere palæstra
Aggreditur; non ira regit, non impetus ensem.
Bragadinus nusquam absimilis, mouet arma decorè,
Pluribus instructus pugnis: miratur in hoste
Et decus & vires, augétque in viribus artem.
Nec minus incumbunt gladiis; vibrat ignea ferrum
Fulmina, & immensis galeam super ictibus ardet:
Sed decor in ferro est, ac temperat arma venustas.
Diuersa visi inter se contendere pugna
Riuales, rabiémque animi propellere in arma.
Nempe inter medios, Erebo submissa, furorem.
Zelotypæa mouet; flammis Phlegetonte petitis,
Internóque gelu; glaciem fouere fauillæ,
Perfossi primùm clypei, dein sparsa per agrum
Fragmina, ferri acie munimentúmque refractum.
Sed neque loricas propugnant pondera ferri,
Nec chalybis mistura tegit, patuere profundis
Vulneribus, gladiíque gemit sub pondere cassis.
Vtque olim Euxini Symplegades æquoris horror,
Terrifici scopuli, formidatæque procellæ,

Concur

Concurſu inter ſe pugnant, immenſaque ſaxa
Conflictu exacuunt; mugitibus inſonat vnda:
Væ miſero, ſcindit medios qui nauita fluctus.
Mutua ſic odiis ira infremit. Arduus inſtat
Atticus incauto Iuueni robuſtior annis,
Tractandiſque armis, longóque petitior vſu:
Iámque ingens læuum Mahumeti plaga lacertum
Ruperat, & largo lorica cruore fluebat:
Cùm Memnon (palmæ attollit ſpes certa tumentem)
Inſultat dictis, additque opprobria ferro.
Túne ferox, rapta nuper qui Virgine, dextram
Iactabas vacuam: tiro perdiſce, quid inter
Sit Martem & Venerem. Nunc fuco hoc illitus, ito
Blanditias narratum Helenæ, thalamóſque repoſce.

XVIII.

Memnon occiſus.

His verbis Turcæ ſubmiſſa incendia; tardum
Vulnere promouit pudor, atque in prælia miſit,
Exurgit tacitus, gladióque in Memnona toto
Infuſus, palmam immutat, reuocátque fugacem.
Vtque atrum cæca fulmen ſub nube recluſum,
Poſtquam ſe tonitru rauco, curſúque fatigat
In caſſum, vanóque micans ſe fulgure prodit:
Collecto tandem illiſu prorumpit aperta
Nube furens, triſtem & fœtum producit in auras;
Intremuere poli, Mundique exhorruit axis.
Sic rumpis Mahomete moram, ſic Memnona pellis:
Chriſtiadis magna heu ſtrages, peſtiſque futura!
Memnona turbatum quatuor iam vulnera tardant,
Iam tingit vagus arma cruor, viréſque ſolutæ
Deficiunt. Videt hunc Venetus, cupidúſque iuuandi,
Oſmanem ſemel immenſo proſternat vt ictu,
Immodicus ruit in galeam: ſub vulnere primo
Cæſaries libata rubet, ſanguiſque per ora
Pulchra fluit: Iuuenis maior de vulnere ſurgit,
Immergitque ingens alto ſub pectore ferrum;

Corpore Bragadinus fuluam consternit arenam;
Amne rubro plaga exundat. Sed Memnona sternit
Horrendum vulnus, vitámque in sanguine mergit.
Instaurantem iras, iactantem & brachia magno
Conatu in Turcam, celeri Turca occupat ense;
Grassatus ferro in costas, fibrásque recisi
Pulmonis, fugienti animæ plura ostia pandit.
Exanimi incumbit, lapsis super artubus astans,
Et pectus læuo calcat pede, probráque iactat.
I nunc, atque Helenæ præclara encomia narra;
Riualis diues spoliis, & strage superbus,
Optatos deposce toros, in præmia pugnæ.
Implebo ipse vices, victoris nuntius ibo,
Téque Helenæ sistam. Dixit; gladióque recidit
Nudatum caput, & dextram pallente lacerto.
Mox ad Bragadinum versus, quem vincula vitæ
Nondum rupta tenent. Tu viue, & verba ref rto
Albano hæc: pugnam auspicio meliore capessat,
Auxilióque vocet fortes, non mollia bello
Pectora; non dextra ignauos, linguáque feroces,
Sic ait, & scissos artus in castra reportat;
Transmittítque Helenæ. Quandó sic spirat amore
Memnonis, hunc habeat, læta & connubia iungat.

XIX.

Helenæ questus.

Horruit aspectu virgo, stupidúmque dolorem
Concipiens, cauti similis, suspiria pressit.
Non lacrymis madueie genæ, non questibus vllis
Vox sonat, immotis super ora aspectibus hæret.
Mox vt se reuocat dirus dolor, & metus ingens
Obruit, & miseræ consurgunt tædia vitæ;
Iámque mori votum est: animam miscere tumultus
Incipit, & sæuæ afflictam iactare procellæ.
Et dolor exagitat; primúsque augere dolorem
Audet amor, Voti iam relligione sinente.
Túne is, dilectam inuisis, charissime Memnon?

Sic

Sic Helenam alloqueris; Sic dextera iungitur? heu te
Quem video! cœcos oculos, exanguiáque ora!
Heu quám diuersus! cùm formosa ora tueri
Spitigradæ licuit; cùm te solante leuabam
Mœstitiam, poterámque insons his ignibus vri.
Atque vtinam nusquam in nostros tua lumina vultus
Fixisses; nunc vitam ageres, nunc lumina luce
Vibrarent, miseris solamen dextera ferret.
Ast ego te vita orbaui, te sæua peremi;
Hoc caput auulsi, truncaui hanc pignus amoris
Dexteram, & infelix abrupi ex artubus artus.
Nempe meus sic sæuit amor. Nam vescitur aura,
Et felix, quem iustè odi, tuuus ille peremptor,
Heu viuit Mahometus atrox! & munera donat
Hæc Helenæ, gratum hoc dono mercatus amorem.
Scilicet immanis, furiata è tygride cretus,
Hoc Helenam pretio? nempe implacabile pectus
Alternis odiis, & inexorabilis iræ
Sæuitiam redemit. Quanquam quid nunc sibi prosunt
Memnonis hæc odia? aut iræ quid me hic iuuat ardor?
Num miser occuumbis; num funere raptus acerbo es?
Num viuo infelix? crudelis vincla Tyranni
Num patior; tota arbitrio permissa furentis.
Nam quid agam? aut tandem per tot discrimina rerum
Quis mihi finis erit? pandet quis mortis asylum?
Eripiétque malis? O Virginitatis honorem
Cui sacrum Maria tuli, cui gignere Numen
Permissum, & nostras in res concessa potestas,
Affer opem; magno exposco pro munere mortem;
Non gasas sceptrúmve precor, non ora parentis
Cernere, non sponsum, tranquillæ aut otia vitæ;
Posco mori: castæ liceat sua quærere busta.

XX.

Helenæ pia mors.

Aliger hæc magnæ Matri iam verba ferebat,
Submissásque preces, lacrymásque, & vota Pudoris.

 Iámque

Iámque illa annuerat. Mox Aliger astra volatu
Nobiláque emensus, terras immissus in imas,
Grata soporiferi fundens medicamina succi,
Irroránsque Helenam; somno molli implicat artus.
Dein vigilantem animam, & poscentem funera votis
Euocat, & sanctam ostensis spem suscitat Astris.
Illa micat prompto obsequio, nexúmque resoluit
Corporis, & celeri metitur sydera cursu.
Non aliter caueæ vinclis constricta columba,
Cùm patuere fores, rapida secat æthera penna,
Et volat ad nidos dulces, gratúmve columbum.
I felix Helena, & Superûm statione beata,
Sedem implens, quà virgineis collucet Olympus
Sideribus, diuûmque oculis via lactea fulget;
Castos virgo foue, votis impende pudicis
Auxilium, dubiísque metu succurre puellis:
Sis magnum exemplum (si fortè hæc carmina durant)
Virginibus, thalamósque doce pro morte pacisci.

XXI.

Bragadinus saucius.

BRagadinum interea gestabat rustica læsum
Vulnere turba graui, truncos & Memnonis artus.
Quos vbi Castriotus vidit, tristésque sepulchro
Relliquias, hostem edidicit, seriémque duelli;
Solatur Venetum dictis, plagæque medentes
Admouet; & truncis curat sua funera membris;
Complorans miseri fatum, cæcásque fauillas
Insanus quas miscet amor, vehemensque cupido.
Tum vindicta ardens, & longi tædia belli
Pertæsus dudum, castóque impulsus amore,
Irene auulsus; diuturna incommoda Croiæ,
Ærumnásque graues, animo miserante paterno;
Instituit Martem extremum, pugnámque ciere,
Hosti vim facere, & raptis depellere castris.
Ergo equitem iusto arcessit, sparsásque phalanges
Colligit, & totos exhaurit milite muros.

Quan

Quanquam parua manus, magno sed Principe fortis.
Bragadini retinet casus, vulnúsque cruentum.

XXII.

Bragadini mors.

IAmque is perfractas vires, vicináque fata
Senserat, admoto promptus se tradere leto:
Vna Isbella moram sanctis innectere votis
Exoptata potest, vna emollire mariti
Pectora; dilectam sic coniugis expetit ardor.
Optandum quoties vulnus, mortémque beatam,
Timotheo assensit! quoties diuina fatenti
Noxas iussa placent! nec vitæ est vlla cupido.
Vna sed Isbella obturbat. Nam si mea, dicit,
Isbella hîc præsens, gremio si fusus amato
Emorerer, facerem precibus solantibus ægram
Si satis, & magnum lenirent verba dolorem,
Dein famulis mandata dabat, repetitáque rursum
Sæpe eadem, charæ Isbellæ referenda rogabat.
Illa aderat, præsénsque oculis libabat amorem.
Nam sexum mentita habitu, transuectáque pontum,
Zelo ardens, subiénsque lares, speculata maritum
Hactenus, occultæ sanabat spicula plagæ.
Quæ postquam occallet penitus, nec coniugis vlla est
Suspicio, castósque ignes & pectora noscit.
Isbellam Isbellam sæpe inclamante marito;
Impos tota sui, flammísque ambusta vicissim,
Heu ignara mali, quantúmque incauta dolorem
Ipsa sibi sereret, rapiente cupidine cæco;
En ego sum, dixit; quam voto ardentior optas
Isbella, en adsum: dextræ simul oscula figit.
His postquam agnoscit speciem, dilectáque cernit
Ora palàm, & charos vultus sub fraude retexit;
Lætitia cumulante animum, cordísque latebras
Spirituum linquente globo, spissúmque calorem
Exhalante extra; vita expirauit in auras.
Vnum quod licuit morienti, lumina cœlo

Fixa manent, missæque manus amplexibus hærent.
Sunt super exangues artus, & frigida membra.

XXIII.

Luctus Isbellæ.

QVæ postquam Isbellæ patuere carentia vita,
Frustráque amplexus ardentiáque oscula iungi,
Casu improuiso perculsa, insanáque luctu;
Sic te Bragadine inuenio? Sic reddita votis
Illa tuis coniux? præsumpsi hæc gaudia mente?
Hei mihi! quid timui Turcas? funesta quid arma
Expaui? si te extemplò vesana peremi.
Non melius latuisse fuit, non ora negare
Optata & patriis æuum traducere tectis?
Tanti nempe fuit, patriâ discedere, sexum
Mentiri, vastum ambiguam transmittere pontum,
Tot ferre ærumnas, vt te conspecta necarem?
Cur zelo deceptus amor; connubia vana
Quid fingebam amens, nostræque obliuia formæ?
Atque vtinam minus Isbellam meminisset amatam
Ille meus, nulla & vultus superesset imago;
Viueret ille meus, nec frigida membra tenerem.
Sic Isbella dolens quæstu lata atria complet,
Immergens lacrymis palmas, oculósque negatos.
Lugenti Albanus mœrens solatia præbet,
Et pompam dignam exequiis illustribus ornat.
Conditos Isbella artus, mœstúmque cadauer,
Muneribus diues, Venetas deportat in oras,
Lugubri comitante globo. Pompam obsitus annis
Timocrates ducit: gemmas auríque talenta
Patribus, & multas grates pro Rege rependens.
Isbella in magna luget pullata caterua,
Busto affixa dies, noctésque affixa perennes,
Ætatem actura in gemitu, viduóque cubili.

XXIV.

Orcani præsagia.

R*Ex simul* exequias,& splendida funera soluit,
Martem animo bibit ingenti,pugnæque paratæ.
Imminet,& votum curas transfundit in vnum.
Dux,miléſque omnis, paribus simul ignibus ardent,
Appellántque diem optatis,quæ proxima pugnam
Clauderet, & tantam dirimat per funera litem.
Sed neque flamma minor Turcorum in pectore flagrat;
Præueniántque diem, votis ardentibus obstat
Cautus Amurates,Nati Osmaníſque coërcet
Impetum, & immodicos auget dum temperat æstus.
Artibus Orcanus vacat impius;astat Auerno
Spiritus excitus, quærenti & talia fatur.
O quem te video Machomete!ô quanta refulget
Gloria quàm claro cingis diademate frontem!
Europam atque Asiam sceptro supponis auito;
Tu gemina Imperia euertis; tibi firma Trapezus
Subditur, & magni te mœnia Constantini,
Post longas belli ærumnas,varióſque labores;
Excipient,solium æternis posituta triumphis:
I felis,quò palma vocat, victriciáque arma;
I fulmen,Græcas flammis exscinde cateruas,
Pontum transgredere,atque Italis infundere terris;
Supplicium Europæ,& Mundi formido pauentis.
Ex te nascentur,series nec tarda,nepotes,
Qui terris mensi imperium, nec finibus orbis
Conscripti, infernis regnent superíſque timendi.
Perfidus hæc Genius, veris mendacia miscens;
Noscere quæ Numen dedit,aut quæ callidus ipse;
Colligit, Orcano insinuans; pugnámque futuram
Præterit & cladi tentat prætendere laruam.
Hac specie Magus illusus,ſpéque actus opima,
Spondet Amurato felicia prælia;certus
Martem ineat;palmam indubiam,clarúmque triumphum.
Dein Nati spes commendat, seriémque nepotum,
Imperium suppar terris,mundóque coæuum.

XXV.

Diuina de Turcis oracula.

ISta Erebus. Quin & superos sua cura lacessit,
Euentúsque feri Martis iactantur Olympo,
Numinis æterni supplex ante ora Georgus,
Post laudes gratésque datas hac voce precatur.
Perfice præclarè inceptum; da vincere Turcum
Albano, Croiam seruare, & condere regnum.
Quin si Turcorum iam dudum ad sidera scandit
Impietas, fulménque tuum Nemesímque nefanda
Crimina compellant; miserorum & vota reposcunt
Christiadum, quorum illi animos & corpora perdunt;
Excide infandam gentem, scelerúmque reuelle
Progeniem, & purga vomicam quæ polluit orbem.
Hæc SCANDERBEGI sit gloria; palma coronet
Laudes digna tuas; animum viréisque dedisti,
Da ceptum implere, atque operis fastigia magni
Ponere, & ad seros regnum transferre nepotes.
Hæc Diuus. Contra Empyrei regnator Olympi,
Vultu quo terras, æthram cœlúmque serenat,
Verba hæc, æterni fati monumenta, reponit.
Aligeri attendunt humiles, Diuûmque cateruæ.
Albanus pugnam hanc vincet, Lunata fugabit
Signa potens, Croiam eripiet, vitaque solutum
Cernet Amuratem, spoliis di andus opimis.
Sed regnum eruere, & sceleratam exscindere gentem,
(Cœlicolæ hæc rerum Mundíque edíscite fata)
Castrioti haud opus est: Heroëm hæc gloria poscit
Maiorem, populúmque pium, laudémque peractam
Annorum longa serie, nobísque probatam.
Inspicio; postquam cunctanti sæcula gressu
Prodierint, postquam ærumnis impleuero gentem
Electam, & doctam immensos perferre labores;
Victorem inspicio. Puero discrimina belli
Non deerunt; tiro vincet ciuilibus armis,
Externísque simul; cùm debellauerit hostem.

Immen

Immensum, pacem & tutam confecerit Orbi;
En iterum ferrum incinget; mea bella capesset;
Progressúsque solo, sepsi quod montibus altis,
Et gemino clausi Oceano, Rhenóque bicorni;
Quos Araris Rhodanúsque lauant, quos Sequana lambit,
Quos fusus miscet Ligeris, ditátque Garumna,
Ducet in arma ferox. Orbis petet inde Tyrannum,
Obruet, & lata cumulabit strage ruinam.
Hunc ego deducam dextrâ, victricia signa
Ostentabo Asiæ, & quà cingunt æquora terræ
Extendam famam, noménque ad sydera tollam.
Christiadum nunc noxæ obstant, & grandia pœnas
Crimina deposcunt. Quantas Machometus adornat
Hic Iuuenis! quanto Europæ se sanguine merget!
Et poterit pressisse iugo; sed crimina vincam
Indulgens, Pœnámque ipsam sub Tartara mittam.
In reliquis fata expediet mea certa voluntas.
Dixit Cunctipotens. Cœli intremuere columnæ,
Aligerûm plausere chori venerantibus alis,
Et laudis vox vna fuit, supera alta tenentum.

LIBER



LIBER OCTAVVS.

ARGVMENTVM.

AMVRATES victus à SCANDERBEGO, moritur furiosus, visis captiuis quos mactauerat.

SCANDER

SCANDERBEGI
LIBER OCTAVVS.

I.

Apparatus Turcarum ad pugnam.

PRima sub Auroram dubiæ cunabula lucis
Detexere polum; candentibus alba ligustris
Semita Memnoniæ matri patet; illa cubili
Approperat, ſpargitque roſas, & lilia pingit.
Et iam caſtrorum Turcæ ſtatione relicta,
Vallum extra ponunt aciem, ſtántque ordine certo.
Dextra Machometus rapit agmina; ſplendet in auro
Loricæ & galeæ, ſublimi vertice criſta
Flammea colludit ventis, ſpargitque per auras
Pictum ignem; portatur equo, quem prata Cayſtri
Herboſis pauere toris; non ocyor Eurus
Anteuolet curſum; tingit ſpadiceus armos
Colla humeróſque color, candore at cætera lucent.
Læua agit Oſinanes; quo nec formoſior vnquam
Induit arma Paris; ſed quo nec fortior Hector
Argolicam in claſſem ferrum flammámque ferebat.
Collucet chlamys arma ſuper, Mæandria palmas
Luſit acus, limbus fuſo prætexitur auro;
Palma viret, ramóſque onerat radiante metallo.
Sed ferrum non ora tegit? ſtant lintea textu
Multiplici, ferrúmque premunt, quod vertice celſo
Inſidet; ora patent, ſatis hæc ſua forma tuetur.
Ardea celſa ſuper textum eminet, incubat ordo

Pennarum viridis, fixóque Adamante relucet.
Nec te præteream fonipes: fuligine totus
Splendeat, alba pedis nisi sint vestigia dextri,
Et frontem macula inficiat; vomit halitus ignem,
Vngula fulmen alit; nec se postquam auribus æreæ
Insonuere tubæ, signúmque ad bella dedere,
Contineat, quin tela inter procurrat & hastas.
Agmen Amurates medium tenet; arma senectus
Annosa haud refugit; facit indignatio vires,
Vindictæque ardor; fusi sub casside cani,
Et rugæ fronti insculptæ, & reuerentia vultus
Terrifici, flammam pugnæ spectantibus indunt.
Nec cultum abiecit; galea lucente pyropis
Fulget apex, Luna excrescens Adamante coruscat.
Ipse inuectus equo, circùm fetus agmina lustrat,
Instigátque animos dictis, ignémque ministrat.

II.

Tormenta bellica loco immota.

Machina sola moræ est, vasto quæ fulminet ære,
Difflétque Albanos; nec enim mortalia contrà
Pectora stent, murorum instar pilásve retundant.
Senas Chatinos ferro nitróque refertas
Inuehit; occulitur longo Mors dira canali.
Ecce repente hærent vestigia fixa trahentum,
Æsque loco immotum perstat; iumenta reponit
Plura iugo ductor, bellantes funibus instat,
Conatúsque adhibent; manat per corpora sudor,
Halitus ora premit; pereunt luctamine vires,
Machina stat. Postquam impatiens iterúmque iterúmque
Vrget Amurates muralia fulmina duci,
Necdum astant; rapido relegit vestigia cursu,
Obiurgánsque greges vectorum; ô fortia, dicit,
Brachia, neruosæ vires, validíque lacerti!
O pugnâ egregij, quos machina pondere vincit!
Illi inter sese enixi contendere certant,

Oſſa lacertorum, neruóſque, & brachia tendunt;
Iumentis auriga ſimul flagro inſonat acri;
Conatus caſſi pereunt: ſtant firmius æra.
Non oculis credit, turbæ ſéque ipſe trahentum
Miſcet Amurates; conatus at irritus exit,
Et pretium nullum eſt operæ, vanique laboris.
Haud aliter pinus facili ſecat æquora prorâ,
Vela tument ventis, ludúntque in marmore tonſæ.
At Remora implicitæ ſi ſubditur ima carinæ,
Pinnáſque affigit; medio ſtat in æquore pinus,
Et ſcopulus fit prora volans; afflantibus Auſtris
Fruſtra vela tument, incaſſum nauita remos
Intendit, liquidis confixa eſt nauis in vndis,
Cymodoce luctam inualidam Panopeáque rident.
Scilicet oblongo confœderat Aliger æri,
Motúmque arcebat; ne machina ſæua noceret
Albanis, & tela Erebo ſubmiſſa perirent.
Non illum emoueant mortalia corpora iunctis
Viribus; humanis tantùm mortalia diſtant.

III.

Tormenta diſrupta.

AMbiguas dubio mentes ſententia pellit,
Orcano ſuadente, audax; diſplodere ventis
Tormenta, & miſſis recludere glandibus æra.
Confeſtim iuſſus ſpatio diſcedere miles,
Admotúſque ignis. Sed non velocior vlla
Flamma fuit, nec ſæua magis prorupit in ignes.
Momento fracta æra crepant; non ore patenti
Glandi iter eſt, ſibi quæque viam fragmenta faceſſunt;
Horribili circùm ſonitu percellitur æther.
Nec propius concluſa lues; ſunt ſingula morti
Fragmina, & immenſo portantur funera curſu.
Quin & dira lues Sultanum afflauit, Amyrſam
Hætentem lateri ferrato fulmine ſternens.
Nec tamen extimuit, tanta eſt audacia menti;
Quin animos de morte facit. Feliciter, inquit,

O socij, faustum illucet victoribus omen,
Illustrant nostras præsaga incendia palmas;
Macte animo miles: dextræ sibi machina sunto
Cuique suæ; pro tormentis sint brachia forti.
Prægrediar nunc signa senex, robustior annis
Vos turba, in nostro vestigia figite gressu.
Sic ait; & cursu repetit pernice catervas.

I V.

Apparatus Christianorum.

Avreus igniuomum iam Sol conscenderat axem.
Et matutinos solitò lucentior ignes
Intulerat mundo, lumenque obuerterat ardens
Æmathium in campum, & magnæ discrimina pugnæ.
Ac totum iubar illa petit, nec atrocior vlla
Titani patuit, pandi nec dignior orbi.
Turmas Albanus properas eduxerat arce,
Hærénsque ad teli iactum, componit ouantes
Spe magna, & vultu dictisque incendia miscet.
Corbutum premit ære grauis; de casside fulget
Aurata textum plumis candentibus ingens;
It tergo demissa chlamys, texto aurea, rubras
Picta Cruces; latè nimium fulgescit in auro:
Ipse oculis vultúque micans, maiórque videnti
Creditus humanæ quàm sint spectacula formæ,
Iámque habitus victor. Nos térque quatérque beatos,
O socij; dicit; quibus hunc largitur honorem
Numen amans, cœli causâ procumbere morte;
Martyrij quos palma vocat, quibus altus Olympus
Panditur; & cælo fulgent plaudente Coronæ.
Quanquam crediderim finem hunc non esse laborum,
Spémve metúmve vocem dubius. Victoria cœlum
Differet, æternæ laurus peritura præibit.
Victrices iam cerno manus; iam Croia salutat
Libera, iam natos coniux ostentat ouantes,
Iam superi expassis ornant altaria templis,
Victoréque manent: Breuis est via; pandite ferro,

Si

Si quis obex. Ego dum præeo, candentia vertex
Signa feret, lucem hanc miles signúmque sequatur.
Nec minus Elricus Venetorum suscitat ignes,
(Bragadini dedit Albanus post fata regendos)
Lilia fulgenti chlamydem depictus ab auro;
At galeæ cristatus apex candentia miscet
Cæruleis, vento bicolor plumatile ludit.
Et bicolor gestat Sonipes; candentia dorsa
Purpureæ pingunt maculæ, totúmque pererrant.

V.

Incipit pugna.

ET iam lethiferis spissus pluit arcubus imber,
Mórsque sagittiferis promit fera tela pharetris,
Docta scopum libera procul. Tu prima sagittæ
præda ruis Telamon; quo nec solertior alter
Mittere tela manu, & certam contingere metam;
Nequidquam ars te multa iuuat; nempe arte magistra
Sterneris: at fidens in prælia venerat arcu,
Iactabátque manum Regi, præsentiáque arma.
Abscissum est spatium, propiúsque ad funera ventum est.
Nam tardas vtrinque moras abrumpere pugnax
Dux milésque flagrat. Sed quis tot funera fari
Sustineat; casus varios, horrendáque fata;
Calliope non ipsa canat; licet omnia coram
Nouerit, & memori condat fera prælia mente.
Vir sibi quemque legit; peditem pedes; aut equitantem
Acer eques; visque omnes certare duello.
Oppositi hinc illinc voluuntur in agmina fluctus;
Progreditur nunc firma acies, vestigia retrò
Nunc legit, & vario Martis propellitur æstu.
Vrgent arma duces, prompti nutantia firmant
Agmina; procurrit miles renouatus in hostem.
Non secus irati tollunt se ad sydera fluctus,
Quà Calpen Abylámque vndis interfluit æquor,
Oppositi si committant sua prælia venti.
Hinc Eurus medij iactat se gurgite ponti,

Insurgitque vadis, totúsque incumbit in vndas:
Hinc Corus rapit Oceanum, fluctúmque tumentem
Impetit, & dirè stridens contendit in hostem.
Pugna fit, horrendo mugitu infinditur æther;
Contremuit Calpe, concussáque fundamentis
Africa limitibus timuit, montísque ruinæ.

VI.

Mahometes pugnans.

NEc tu causa leuis tanti Mahomete furoris,
Stragísque illatæ: nam postquam pressus habenas
Impetus admisit, nec iam patris vlla cauentis
Sollicitudo tenet, genióque incumbere fas est
Quà rapitur; quas non strages, non funera patrat!
Postquam passim iras plebeio sanguine pauit,
Funera funeribus cumulans, pétque obuia ferro
Grassatus capita; indignans sibi defore dignè
Quem peteret, quíque obsistens accenderet iras;
Ecquis? ait, tanto in numero contendere mecum
Qui velit, & pugnare audax, mortémque mereri?
Vilia iam tædet. Quin si timor intima carpit
Pectora, Castriotum iustæ componite pugnæ;
Vos omnes semel ille tegat. Sic ille iuuentâ
Turgidus, & primo Martis prouectus honore.
Non secus ac cauea Leo natus & altus in arcta,
Claustrísque inclusus, neruis dum robora crescunt,
Sæpe vngues videt exertos, caudémque lacessit,
Se frustra incendens. Sed cùm semel ira magistrum
Depulit, & vasto licuit decurrere campo;
Effundit rabiem, brutis hominíque timendus.
Non tulit insanis iactantem opprobria verbis
Timoleon, magnæque audet se sistere pugnæ:
Albanum, dicit, frustra petis; en mea dextra
Sufficiet, tollétque meo tua prælia Regi.
Qui si nunc præsens; ausus non hiscere contrà
Terga dares, cuperésque ima tellure recondi.
Sic ait; & galeam valido diuerberat ictu,

Inuectúm

Inuectúmque tenet. Frendentem exasperat iram
Turca ferox,femoríque acto demergitur ense;
Sanguineo vt Madidum riuo videt. Hactenus, inquit,
Dextra infirma tibi est, linguámque æquare procacem
Haud valuit; meliora ensis nec fata reseruat;
Et simul impacto prorumpit in ilia ferro,
Luctantémque animam pellit, mittitque sub vmbras.
Timoleonta rapit Sonipes, spargítque cadauer.
Iámque metus turmam inuadit; quia vincere nullus
Posse putat,iam victi omnes, lethúmque paratum
Expectant; certi antè mori, quàm vertere terga.

VII.

Mahometes impetitus.

VNus at Argarocles auersus funera pigra,
Indecorémque necem, sopito incenditur igne.
Huic lustris post sena decem decurrerat ætas,
Grandæuóque seni post tanta pericula, vires
Atque animus superant; nec primo à flore iuuentæ
Cessabat Martem mortémque lacessere ferro.
Quid dubitatis; ait: pecudum quid more necandi
Colla datis; pelli hinc præstat, fatisque secundis
Se seruare fugâ. Sed si meminisse potestis
Et vestri & Regis;nec colla impunè, nec vnquam
Terga hosti dabitis, Meus ensis cætera dicet.
Fortior hanc vocem dextra excipit. Omnibus iidem
Flagrauere animi, bellum instaurante pudore;
Inque vnum conuersi enses. Nec territus hæsit
Turca audax,quin se in medios immergeret enses.
Sic Tegæus aper, stricto cùm dente molossum
Insequitur, iam iámque tenet, lacerátque cruentum
Iam proprior; si turba canum frustrata ruentem
Impetit, & prædæ incurrens spem fallit inanem;
Se ferus instigat quæque vnum sæua petebat,
Ira ambit cunctos, & sufficit omnibus vna.

VIII.

Elrici facinora.

ELricus parte ex alia non lentior ibat,
Impellens Venetas Lunata per agmina turmas.
Quà ruit? Eridano similis, qui cornibus agros
Æmilios rumpens, sata læta, virentia prata,
Bacchi delicias, vlmósque, & dona Mineruæ,
Æquora præcipiti deuoluit in Adria cursu.
Sic equitem peditémque metit: cecidere phalanges
Sub gladio; cruor hostilis fulgentia tingit
Lilia; cæruleus toto micat æthere vertex.
Funera pertæsus vulgaria, circunspectat
Siqua suo ferro se victima nobilis offert.
Et fratres cernit geminos, Bremerem, Vladúmque,
Fulmineos, magna circùm se strage vehentes.
Indistincti armis, cultúque; æqualia bello
Robora iactabant; fœdo nec Marte dirempti,
Æquabant celebres, hostilia funera, laudes.
Sublimes in equis paribus, quos diuidit albor
Nigro interfusus, spoliúmque è Tygride raptum
Armenia sternit, veneto se sanguine mergunt.
Elricus simul aggreditur, primúmque cruento
Bremerem ense ferit, manat de vulnere sanguis.
Ast Vladus viso germani sanguine, magno
Impete in Elricum fertur; ferróque rigentem
Loricam penetrans, peruadit in intima mucro.
Frater ad hæc; Quid enim tentas? cur eripis hostem
Vindictámque mihi? non dextera sufficit armis?
Dein se continuit: ne fortè ingloria fratri
Palma foret; socij consors, hæcque vna querela,
Decursu ætatis, fraterno irrepsit amori.
At postquam frustra magno certamine nixus,
Dextra Vladus cadit Elrici, pectúsque solutum
Perpetuo torrente fluit; moderatio rupta
Bremeri, & magnæ reuocatæ ex æstibus iræ.

Hinc

Hinc illinceque ferit; dolor eſt pro viribus, vltor
Inſtat amor, geminíque ardent in pectore fratres.
Mors equidem voto eſt, ſed ſi perit vltio, triſtis;
Nec fratri ſupereſſe velit, ſed ſurgere vindex.
Nequaquam id tentat; ſimili ſed vulnere felix
Sternitur, & ſæua confoſſus pectora plaga,
Labitur in fratrem, tenuis cui vita ſuperſtes
Reſtat adhuc; iuncti exemplò complexibus hærent,
Sanguineos miſcent riuos, animóſque gementes,
Momentóque pari fatum inuiolabile claudunt;
Et ſimiles perſtant; mortem concordia vincit.
Victori palma ipſa dolet, ſed bellicus ardor
Excutit humanos ſenſus, grauitáſque pericli.

IX.

Idem argumentum.

MEcmutes cædi incumbens agit enſe cateruam,
Cedenti inſtat atrox, crebra occidit hoſtia morti.
Ille diu prædo celebris, quà faucibus arctis
Admittit Cilices Taurus, Syriámque recludit,
Crudelis poſtquàm infando ſe ſanguine pauit,
Dirúſque hoſpitibus mortem per funera mille
Intulit; in bellum portans cædem atque furorem,
Immani gaudens mactabat corpora letho.
Membrorum moles vaſtos ſe fundit in artus
Viuida, & in toto magnæ ſunt corpore vires.
Excipit Elricum gladio, clypeóque retundit,
Pugnámque inſtituit, dignus qui fulmina Franci
Comprimat; ille ardens ira, ſéque hoſte teneri
Vno indignatus, ſublimi impingitur enſe,
Quà collum annexos humeros tenet; altus in ima
Pectora peruadit gladius; ruit obruta moles;
Intremuit caſu tellus, & mugiit æther.

X.

Osmanis militaris gloria.

OSmanes an te sileam? quem laurea felix
Prouehit,& primis laus ampla incendit in armis.
Quid non ense patrat; quæ vis obsistere contrâ
Perstitit incolumis; quis funera prompta moratur;
Albanis passim Venetísque infusus, Alexim
Demetriúmque necat, præter vulgaria fata
Quin etiam incauto patrat obuia funera Marte,
Se quibus abstineat, penitus si nouerit hostem.
Titassum interimit,cui dogmata nota Lycæi,
Perspectúsque Plato:Mendem, qui sidera lustrat
Mente ampla, cœlique domos atque abdita vidit;
Nescius heu, quam perniciem sibi fata minentur,
Tu quoque Mendesia, præclarus Apollinis arte,
Pellere seu morbos succis, seu pandere versus,
Occumbis ferro; nec te iuuat arte salutem
Confecisse aliis, æternam aut carmine vitam
Pangere,& Aonias fronti prætexere lauros.
Nec te fortem animo iuuenem Theodore silebo,
Quem belli studium morti dedit. Ille parentis
Clausus adhuc vtero, lucis nec missus in auras,
Ismeniæ votum genitoris,vt hostia Christo
Iuratus, spes conceptas pietatis alebat.
Mox natus,patris vocis auersus,& hostis
Mitibus orandi studiis,pugnacia bella
Ardebat,Martis curas,bellíque labores.
Quid faciat genitor; dominantem impugnet inani
Naturam studio, & rapidum maris arceat æstum?
Quod licet,assiduis deflet pia vota querelis.
Solatur luctum Ortesius,fatique futuri
Conscius, optatam sortem Deus ipse reuelat.
Quid natum fletu assiduo, mœstóque dolore
Prosequeris;belli curas Martémque perosus.
Mars erit ille salus, votum tibi bella facessent,
Martyriúmque dabunt. Natus pia prælia Christo

Pugna

Pugnabit, fidei miles, cœlique minister,
Armorum præstans, donec cadat hostia cœlo.
Spes alit illa patrem; iuuenis nec dicta fefellit.
Militiam sed enim sacram ille iurabat, & arma,
Et dignum cœlo Athletam se Marte feroci
Exhibuit, forti dextra grassatus in hostem?
Osmanémque petens, caput alto vulnere fissus
Occidit, & sancti voti reus optima claudit
Fata libens, animámque alto dimittit Olympo
Sic ferrum Osmanes tractat, laudémque cupitam
Implet ouans; nec iam ambigui tenet alea Martis
Incautum iuuenem, ferro prona omnia credit.
Non secus ac pinus diffusa per æquora rector,
Gurgite quà Nereus Atlantica littora pulsat
Immenso, & vastis Afros præterfluit vndis;
Amplas circùm oras & promontoria vectus,
Exhaustísque Austris, tempestatúmque furentum
Fluctibus, & scopulis, dirísque Aquilone procellis?
Immunem se clade ratus; securior Euro
Dat vela, & clauo forti fidentior hæret.
Nescius ad flexum Oceani, Capitisque tumentes
Sperati fluctus, quantus superimminet imber,
Atrox quàm Boreas, diri quàm flatibus Austri.

XI.

Elricus & Mahometus.

ARdebat pugna, & Mauors super arma solutus,
Iram animis inflammabat, dirúmque furorem.
Agmina miscentur rabie, stringítque virum vir,
Et ferrum mouet ira tumens. Elricus Amontem
Insequitur; fugit hic, sparsóque per agmina cursu,
Se rapit haud dubiæ morti; casúque, volanti
Fertur equo, quà totum agmen Mahomete repellis;
Seque sub ingentis clipei tutum occulit orbe,
Aduolat Elricus, pugnatorémque ferocem
Miratus, circùm cumulos stragemque patratam;
Laus & amor simul incumbunt; amat inclita fortis

Gesta viri ;laus incendit, palmæque cupido.
Tum turbæ;Procul este;inquit, mihi debita virtus,
Vincendíque decus: vulgum hæc victoria nescit.
Vertit Turca oculos,aurataque Lilia spectans,
Et famâ celebrem intuitus,spe pectora pulsat,
Palmámque obiectat menti,& sua præmia laudem.
Idem animus, virésque pares,in dispare causa.
Incurrunt auidi,gladiisque minacibus instant.
Elricus Turcæ læuum mucrone lacertum
Delibat fugiente;cruor de vulnere stillat.
Christiadum turba exclamat.Tunc de grege miles
Euibrat incautam neruo stridente sagittam;
Quo vehitur Mahometus equo configitur ictu;
Sternitur hic, sessórque simul; subit æthera clamor,
Turbáque confusis collapsa infunditur armis.

XII.

Osmanis & Elrici pugna.

INterea celere Osmanem reuocante Resulpha,
Et domini casum narrante,ancepsque periclum?
Osmanes cursum approperat,simili impete turma
Proruit,& tanto ductore in prælia fertur
Confestim expulsus miles,pedibúsque frementum
Alipedum ereptus Princeps,contritus & artus
Subripitur pugnæ,redeant dum robora membris,
Emouet Osmanes turbam trepidámque propellit.
Non secus in siccas missus Vulcanus aristas,
Corripit immensas segetes subitúsque per agros
Funditur,& tristi momento incendia voluit.
Elricus contrà exurgit, nouus incitat hostis,
Instauratque animum dura decernere pugna
Inceptant;ferri æstus agit,Mars horridus vrget.
Elrico vis maor inest,maiórque ruenti
Impetus;Osmani ars maior,pugnæque palæstra
Dexterior. Crebro gladij seu fulgetra motu
Hinc illincque micant;spatium ferientibus vllum
Non datur;æthera procul,clypeique,ensésque resultant.

Sed

Sed non Marte pari; multo iam vulnere Francus
Rumpitur,& multo fessus iam sanguine manat:
Integer Osmanes,nec vulnere saucius vllo
Dexteritas felix illæsum præstat,& ensi
Lubricus occurrens gladius;cadit impetus hostis
Mollior, & ferro decliuis frangitur ictus.

XIII.

Elrici mors.

TVnc vigil Elrici castos,stellantis Olympi
Nuntius,hac matrem compellat voce Tonantis.
O Mundi Regina potens; si nulla repulsam
Vota ferunt, sempérque patent tibi Numinis aures;
Elrico fer suppetias ,iuuenémque periclo
Eripe,& interitum meliora in tempora serua.
Delibat vixdum longæ primordia vitæ,
Et multi expectant anni, præclaráque gesta;
Nec vitio indulsit,iuuenis nec torpuit ætas;
Qui si delicias patriæ,gremiúmque parentum
Captasset,magni lætus discriminis expers
Nunc ageret,largo fluerent nec sanguine riui,
Blanda voluptatum sed fortior otia damnans,
Militiam duram instituit,sæuósque labores;
Nempe Tibi,Natóque tuo;nec gloria curæ
Vlla fuit,nisi Relligio quam culta parasset.
Et modò mater amans, natum modò mater Elisa
Inclamans, tibi vota ferens procumbit ad aras,
Et tua perpetuis cumulat sacraria donis.
Hunc poteris genitrix genitrici inferre dolorem;
Vt viuam, & Christi causâ quam misit in arma,
Dilectam sobolem,complexa exangue cadauer
Lugeat,& mœrens Superorum obliuia carpat;
Olli respondet fatorum conscia Mater.
Quod petis,& votis genitrix quod flagitat ardens,
Corruptum est munus;species plæclara,sed intus
Mors latet, & certæ nocitura venena saluti.
Hoc missum bello iuuenem discrimina vitæ

Noxia circumstant; vitiorum infanda propago,
Luxuries,& Auaritia,& tumor altus inanis
Gloriolæ,Ambitióque ferax scelerum,obuia pestis
Forti animo? quæque has pestes extrema sequuntur.
His monstris lethum eripiet. Nec cætera damna
Prosequor, humanæ metuenda pericla senectæ.
Est vitæ laus summam breui; nec temporis æuum
Nomen habet:sed verus honor,virtutibus arctos
Protendisse annos,superasse & sæcula factis.
Et tuus eximia virtute impleuit alumnus
Vitam arctam,longúmque feret per sæcula nomen?
Pugnantémque Deo cecidisse, coæua loquetur
Fama viris; tabulámque suo de sanguine pinget.
Quin sedes manet ampla polo, vitámque solutam
Hic locus excipiet, solióque reponet in alto.
Hæc Virgo.simul Aligero spectacula pandit,
Hinc varias pestes, vitiorum horrentia monstra,
Et quæ mortales animos sub Tartara mergunt.
Illinc magnificum gemmis, conchísque coruscum
Indorum solium; palmæ viridante Smaragdo
Collucent, solium amplexæ regale corymbis.
Assentit Custos, subitúsque reuisit Alumnum.
Huic dudùm exhaustæ pereunt cum sanguine vires,
Nunc cadit,ac limen vitæ contingit honestum.
Astat amans Custos,mentémque ad sidera tollit,
Noxarum infundens odium, ac pietatis amorem?
Excipit hinc purgatam Animam,solióque locandam
Empyreo portat; plausu sacra personat Aula.

XIV.

Fortitudo Scanderbegi.

AT Scanderbegus longè agmina Turcica pellit;
Et spargit ferro cædes,& funere messor
Multiplici consternit iter. Iam nomina bellis
Inclita mactarat;Typhantem,& tygride pastum
Hircana Vsulpham, primum quem Græcia victa

Senserat;& celebrem,pontum dum transiit Helles,
Termanum, ratibúsque natans vetita æquore pandit.
Sublimi ex podio pugnantem, hostiliáque arma,
Spectat Amurates, iámque indignanter, & irâ
Martis atrox. Vincet nobis spectantibus hostis,
Et patiar; nec me virtus in prælia mittet;
Non hunc me genuere patres; non gloria regni.
Otmanici, & partæ per tot discrimina palmæ.
Sic ait; & lectas simul imperat ire phalanges;
Fortem equitem, & Ianizzerûm fulgentia signa;
Signa Cometæ instar certæ prænuntia cladis.
Hi lento gressu incedunt; iunctísque Sarissis
Terribiles, pugnam truculentis vultibus afflant.
Et turmas Mahometus agit; nec vulnus inertem
Esse sinit; reuocant hostes,patrisque periclum.
Vtque canes viso densis in vepribus apro,
Lora trahunt, implent subitis latratibus auras,
Dentémque expediunt; tantùm est venantibus æstus.
Sic equites peditésque ardent decernere Marte.
Sed neque turmæ equitum densæ, peditúmve phalanges
Albanum mouêre loco; tota agmina scuto
Excipit, & scopulo membrorum disiicit vndas.
Ad latera extincti comites, Demetrius, Almon,
Agrestisque Niphas, quem pugnantem ense recuruo
Mactat Amurates, turmásque his vocibus vrget.
Huc mecum, ô socij, nec dum mihi pigra senectus
Extinguit vires; feruent mihi sanguine venæ;
Macti animis; bellum his hodie patrabimus armis.
Nec patet effugium, vestris fera bellua septis
Clauditur. Incurrunt spissi, Regémque lacessunt.

XV.

Amuratis periculum.

ILle per oppositas equitum peditúmque satissas,
Inuadens aciem obiectam, quà concitat agmen
Sultanus, perrumpit atrox, & fulminat ense

In

In caput; ille exit citus, & libante sinistrum
Plaga humerum, magno in terram deuoluitur ictu.
Præcipitant densi Satrapæ, celerésque Tribuni
Corpore Sultanum tegere, & diuellere morti.
Inualidum obiectant obicem; metit obuia ferro
Corpora Scenderes, Sultanóque ingruit ardens;
Iàmque necat: ni fata patris Mahumete vetares,
Vrget enim pietas. Toto connititur ense
In galeam. Rex insano percellitur ictu,
Hærétque attonitus; dein viribus ira receptis
Insurgit, dignúmque ferox incumbit in hostem.
Pugnantes idem ardor habet, vel vincere ferro,
Vel ruere, huc summo intensæ conamine vires.
Sultanum interea fidi in tentoria portant.
At Scanderbego longa est mora; proruit alto
Taumasio, galeæ gemmas calybémque refringit,
Perrumpitque caput; cerebrum, collúmque, humerósque
Fissurus, nisi dextrà ictus decliuior erret.
Labitur horribili Mahumetus vulnere fossus;
Exundat cruor, & latè deturpat arenam.
Hoc casu pugna inclinat; iámque ordine lento
Turca gradum sistit; collapsi turma saluti
Principis intendit; reliqui vix gressibus hærent.

XVI.

Osmanes cum Castrioto.

Fortis at Osmanes spissa stipante caterua,
Audito pugnæ fremitu, & discrimine rerum,
Conuolat; instaurant Turcæ sub pectora Martem,
Perstrepuere tubæ, resonat clangoribus æther.
Non secus Oceano tumidus cùm redditur æstus,
Insurgitque vadis pelagus, fluctúmque sedentem
Sidera sustollunt; aut se Neptunus ab vndis
Concitat, & calidis torrentur febribus artus.
Antehac inualidæ naues, siccóque iacentes
Membra solo, vastæque exanguia corpora moles,
Se tollunt simul, & vitam reparantibus vndis

Membra mouent, remos aptant, velisque ministrant;
Ærarisque ruunt inimica in littora proris.
Albanum Osmanes (animos incendit ab hoste)
Aggreditur, gladiúmque armis fulgentibus infert.
Albanus, quanquam ira tumens, & Martius ardor
In ferrum impellunt, tamen vt pulchra inspicit ora,
Et formam dignam imperio, Iuuenémque cupitum
Coràm habet, ac famam lustrat, damnátque minorem,
Seruandi flagrans, & honesto adductus amore.
Præclare ô voti Iuuenis, Superantibus annos
Factis iam celebris; quid nostra in prælia tendis?
Quid tecum Æmathiæ? si quo te Albania facto
Læderet, aut Græci ruerent in Tartara regna,
Iustè ageres: nobis agitanda hæc prælia linque,
Nec Turcis te misce armis; tibi laudis abundè
Hactenus; hos animos hostilem in Persida verte,
Extremósve Indos; pasces hoc fomite flammam.
Sic ait Albanus. Iuuenis sed pectora Mauors
Insidet; hinc surgit pro vulnere Principis vltor,
Albanóque refert. Ergo nostra agmina cædas
Impunè? & princeps arcto mihi fœdere iunctus
Vindictam frustrà appellet? non hæc mihi tanti
Est anima; impendam hanc violatum vlturus amicum.
Dixit; & adducto percellit acinace Regem.
Ardua tunc pugna exoritur, miscétque duellum.
Concurrunt ferro, & vires artémque lacessunt.

XVII.

Idem argumentum.

SEd multo iam conflagrat conamine pugna;
Necdum vllo bellantum animi se vulnere produnt.
Albani tegit arma liquor; se Tartarus arte
Expedit, & gladij flexu, miráque palæstra
Taumasium eludit; ferrum cadit æthere vanum,
Quod chalybis moles, & saxa Alpina secaret.
Miratur Scanderbegus, Iuuenémque retundit
Innocuus, ridétque arti succumbere vires.

At circumſpectans,animis inſurgere Turcam
Aduertit,magnóque ſuis incumbere niſu;
Ac pugnam niſi conficiat,iam vincere poſſe.
Certamen tandem vt dirimat,toto impete vulnus
Apparat,& parcit letho, Iuueniſque ſaluti.
At plagam excludit Iuuenis. Feruentior ira
Albanum accendit, iámque indulgentia ceſſat,
Et totum ſe promit atrox;cadit irritus iræ
Impetus,& totum diuerberat æthera robur.

XVIII.

Amuratis indignatio.

FIdi bellantes Sultanum in caſtra ferebant,
Poſtquam eſt impoſitus ſtratis, curáſque medentum
Admiſit, Martem & varium iam mente retractat,
Euentúmque timet:cæca indignatio pectus
Verſat,& inflammant iræ,primique furores.
Et ſecum. Quid me palmis victricibus ornat.
Inuida ſors; quid longa ætas cumulata trophæis;
Omnia ſi rapit vna dies; hoc limite vitam
Finio? ſic lauros operúmque inſignia claudo;
Vt vincar; quique Europam, gentéſque ſubegi
Innumeras,vili ſeruo dem colla premendus;
Seruus Amuratem vt ſubigat; modò membra cataſtæ
Qui rapuit,Domino imponat iuga ferrea victo;
Sic Fortuna places? ſic munera perfida donas;
At fruſtra. Caput hoc iuro,Superóſque minantes.
Haud vinces.Ibit nigras moriturus ad vmbras
Victor Amurates;collum nec vincula nectent.

XIX.

Captiui obiecti Amurati.

HÆc dum voluit atrox. Magna ſplendeſcere luce
Papilio,crebrique ignes è luce refundi.
Spectantem metus exagitat. Se hoc lumine produnt

Cœli

Cœlicolæ, ornati palmis, radiisque corusci;
Sed toruo infesti vultu, fœtisque minarum
Luminibus, terrorem augent, & fulgura vibrant.
Captiuos noscit, dirus quos morte tyrannus
Sustulerat, sæuisque Erebi sacrauerat aris.
Eminet Euphrasia; ac longe pulcherrima; frontem,
Os, oculósque, genásque, poli pingente colore;
Et collum baccis ornantibus, India quales
Non alit æquoribus; fulgens diadema pyropis,
Qui superent Solem, ostentat; fert dextera palmam
Vernantem, folia illustri formante Smaragdo.
Intonat has dein virgo minas, pœnámque reposcit.
Christiadum vesana lues, auidissima cædis
Bellua, & humano truculentè in sanguine pastus;
En tandem venit illa dies, quæ crimina claudat,
In pœnámque vocet; nimium est regnator Olympi
Impia quod patitur ruere in delicta Tyrannum;
Finis adest; potuitque scelus contingere metam.
Quis finis, superi! vitæ quàm digna nefandæ
Claudet meta dies! victricia signa videbis
Albani, dare terga tuos; stratasque phalanges
Occubuisse neci; nec tu succumbere morti
Optatæ poteris; donec furor incitus Orco
Te rapiat; furor horrendæ Cunabula pœnæ;
Æternùm quæ te cruciet, bustique voracis
Ignibus, æterna plectat tua crimina flammâ.
Hoc te supplicio mactat Deus; hoc tua nuper
Victima conficimus, rapimúsque ad Tartara viuum.
Sic tonat Euphrasia, & cum lumine fluxit in auras.

XX.

Furor Amuratis.

SVltanus viso obstupuit, gelidúsque per ossa
It tremor, horrescunt crines, vox faucibus hæret.
Sed postquam obseptam laxant spiracula vocem,
Prorumpitque timor; magnis clamoribus æthram
Verberat, auxilium appellans, stipantiáque arma.

Accurrunt Satrapæ fidi, miléſque cohortis.
Tum miſer. Arma citi, fidiſſima pectora, ferrum
Promite, & infenſam Domino propellite turmam.
Quæ mora vos tam lenta tenet? non cernitis hoſtem?
Circunſtant, gladiiſque truces, haurire cruorem
Captiui intentant. En turba miſerrima, letho
Quam dederam, rediuiua, neci cultróque ſuperſtes,
Imminet, ac ferro vitam eripit; oro iuuate
Subſidio miſerum, & capiti depellite peſtem.
Illi inter ſeſe attoniti, ſolantia luctum
Verba ferunt: iurant tuta atque immunia caſtra;
Somnia captiuos, vani ſimulacra ſoporis.
Quin Orcanus adeſt, & ſpem facit; aſſerit ire
Victorem Oſmanem, nutare Albanica tela,
Pelli poſſe fuga; mentem componeret ipſe,
Proſpera ſperaret; ridens ludibria ſomno.
Hac ſpe deluſo dirus ſopor occupat artus.

XXI.

Oſmanis vulnus.

NEcdum ſæua Ducum finem dare tela duello
Optatum poterant. nam Tartarus arte magiſtra
Enſem eludebat rapidum, ſeu lubricus anguis.
At Scanderbegus cunctantia vincula pugnæ
Rupturus ſemel, immenſo ſuper æmula niſu
Arma ruit; celer Oſmanes obtendere ferrum
Præcipitat; ſed Taumaſij ſub pondere fractum
Diſſilit, & vaſtum penetrat ſub pectore vulnus.
Labitur Oſmanes; formoſa per ora cucurrit
Pallor iners, lethíque genas depinxit imago.
Continuò Albani Venetique incumbere læſo
Inſtituunt, cæſóſque duces immanibus iris
In victo vlciſci; denſa caligine læſus
Obtegitur, rapitúrque hoſti, Creſpoate ferentes
(Aliger obducit tenebras, lethúmque moratur,)
Quà vehit amnis aquam; fidus comitatur Achillas.
Circùm turba fremit, tuto latuere receſſu

Agmina

XXII.

Fuga & clades.

AGmina Rex cædit victor, spissásque phalanges
Disiicit, & latè cumulata cadauera sternit.
Fulgebat candore nouo plumatile sertum,
Prælucens Phariæ facis instas, & agmina longè
Æmathia accersens, illi quò luce vibrabat
Regis apex, prompti accelerant, ensémque sequuti,
Proculcant iter inceptum, vique obuia trudunt:
Rex gladij fulgore fugam stragémque refundit.
Non aliter Lybiæ super arida iugera vectus,
Nubifero rapidus curru, feruénsque citatis
Quadriiugis Auster; sparsam si verrit arenam,
Et cumulos moléfque afflat; volat illa per auras,
Pulueream in nubem, atque ipso velocior Austro
Præuolat, Æthiopúmque amplis infunditur aruis.
Obuertunt iam terga hostes, vnáque salute
Sollicìti, trepidæ appellant formidinis alas.
Vnus Charites clauum rapiente procella,
Arripiens, lecto Mahometem milite defert;
Ambiguum vitæ atque necis, mittítque Resulpham
Orcanum vt moneat? spem iam fugientibus vnam
Esse super, properet Sultanum auertere morti,
Et qua monstrat iter, celeri peruertere cursu.

XXIII.

Osmanes Christianus.

OSmanem interea Crespon & fidus Achilas
Detulerant fluentes, voluit quà Lisanus vndas.
Hic molli postquam iacuit resupinus in herba,
Et largùm aduertit vulnus, riuósque fluentis
Sanguinis, & ruptæ pereuntia vincula vitæ;
Tunc matris memor, & toties quæ dogmata mater
Stillarat puero (mentem collustrat Olympi
Rector amans, animámque sibi seponit amatam)

O Heu,

Heu, mater, dicit, quantùm mihi vera canebas:
Vitam præcipitem, fallacia gaudia, mortem
In foribus, iuueníque citum vanescere florem.
Credere me dictis ætas malesana vetabat,
Inducta est nunc morte fides. Sed credere Christo
Quid vetuit, sanctámque animo conscribere legem?
Id quoque nunc cuperem; sed seriùs; & dare Christo
Fragmentum pudeat vitæ pereuntis inane.
Audiit Eunuchus votum, captánsque cupita
Tempora, & afflantis miratus Numinis auram;
Promouet hos sensus dictis; momentáque cœlo
Omnia grata docet; perrumpi in limite vitæ
Posse polos; nullique Deum sua dona negare
Qui vocet. in sacris quin crimina, dum vacat, vndis
Proluat, & purus noxis aspiret Olympo.
Assentit iuuenis, laticésque ardentius optat.
Nec mora; mersam vndis galeam defundit Achillas
In caput, & sacro pia verba enuntiatore.
Dona simul penetrant animam, gratóque nitentem
Lumine collustrant, diuinísque æstibus implent.
Percipit afflatum moriens, ac Numen anhelans,
Gaudiáque Empyrei; verbis noua gaudia pandit.

XXIV.

Osmanis mors.

O Fidi, & mecum bellíque viæque labores
Partiti immensos; meritis pro talibus apta
Præmia quis vobis referat? Deus ipse; nec auctor
Donorum, immunes donis sinat esse merentes:
Et pia mater erit. Tu Crespon, visa retexe
Poscenti, & mea dicta refer. Tuus ille salutem
Osmanes matri æternam certámque precatur,
Quàmque habet, exoptat. vicisti, in dogmata Christi
Transiit, & vita abscedens transmisit Olympo
Ereptam flammis animam, stygióque furori.
Hunc mater lugere caue, quem sydera faustè
Excipiunt; cui cœlicolæ superûmque cohortes

Gratan

Gratantur, deflere nefas. Hanc Christe salutis
Spem facis, & magno vitam mihi pignore spondes;
Amplector felix vulnus, mortémque beatam.
Tunc oculis cœlum figit, coniunctáque gratam
Efformat dum palma Crucem; dilabitur aurâ
Spiritus, & rapido exultans petit Astra volatu.
Haud aliter Cygnus; pullis implumibus ales
Quem prædam rapit, Altisoni pennata satelles;
Si iaculum ferit armigeram, vitámque feroci
Eripiat, cadit illa solo; Mæandria cœlo
Ludit auis, plaudénsque auras & nubila tranat.

XXV.

Orcani cædes.

SEd non tranquillè vita inuidiosa Tyranno
Cessat Amurati. Viso perterritus, altum
Discutit extemplò somnum, repetitque furentem
Errorem, raptæ patiens deliria mentis.
Mecmetum in somnis offerri ante ora parentem
Viderat, ardentem flammis, similésque vocantem
In pœnas, fauces Erebi dirásque minantem.
Iam sequor, exclamat; quid me tot monstra lacessunt;
Nimirum, inferni manes superique mouendi,
Vt rapiar; tantine ego sum; mihi tanto potestas?
Et tu sæue pater cumulas portenta, Erebúmque
Ingeris, vltricésque minas: sed inania iactas?
Vita molesta manet misero; quid Tartara fingis;
Talia fundentem aggreditur, referente Resulpha,
Orcanus, cladisque metum, victriciáque arma
Castrioti narrat; Mahometum vulnere tardum
Deferri; mora dum superest, quin ipse saluti
Consulat, & tuto recipi patiatur asylo.
His dictis, rapido mens rursum insana furare
Corripitur, Nemesisque amplas dimittit habenas.
Deserror me vincet, ait? mihi transfuga turpis
Colla premet? necdum emorior? tua perfide sunt hæc
Nuntia; sic vinco; sed nec sub Tartara solus;

Nec tua Scenderes victor mendacia plectet;
Crimen ero, tortórque simul. Sicam inde latentem
Diripit, Orcanísque actam per viscera mergit;
Ille Erebo truculentam animam cum sanguine fundit.
I, Sultanus ait, primùsque ad Tartara victum
Defer Amuratem, & dictorum præmia posce.

XXVI.

Amuratis desperatio.

TVm ferus intendit ferrum sibi; continet ardens
Turba manum, sicámque rapit, vitámque precatur.
Hunc rabies immanis agit. Sic. perfidus, inquit,
Vim faciet miles? Dominúmque rebellio præceps
Oblita, obsequiúmque simul; me ponere vitam
Arbitrio coget? miserum me, & dira ferentem
Imperia! addicor seruis: in milite viuit
Castriotus, stipántque hostes mea castra frequentes.
O pecus ignauum, natásque ad vincula dextras!
Veram à me nusquam infracto perdiscite palmam.
Vincendíque modum, quem nec Victoria vincat,
Qui sortem cœlúmque premat. Mox vincula plagæ
Discerpens, plagam abrumpit, dextrámque cruentat.
Segnis, ait, prodi hinc anima? hic decet exitus; hora
Ista iuuat? nondum victo periisse decorum est.
Quæ mora te tam lenta tenet; iam perfidus hostis
Huc aderit; iam munus erit mors ista, rogatus
Hostis quam dederit; laudem hanc præcerpere dextra
Perge audax; vnum Albano permitte cadauer.

XXVII.

Amuratis mors.

DVm sic desæuit, vulnúsque insanus adauget,
Armorum fremitus latè insonat. horrida victor
Tela infert Scandérbegus, foribúsque repulsus
Imminet; occurrunt Turcæ, stipántque phalangem.

Tota

Tota cohors volat ad ſtrepitum, Dominúmque tueri
Prompta, Sariſſarum ſpem protendit in hoſtem.
Sed nec Amurates imbelli hærere cubili
Suſtinet; euectus plaga, fulſóque cruorę
Perplutus, propero exurgens petit oſtia greſſu;
Albanumque videt perfringere fulminis inſtar
Agmina, & in cumulis cæſorum inſurgere ferro;
Quid cunctamur? ait. ſimul ardens ira, furórque
Cor lacerant, vita immenſo reſtinguitur æſtu;
Indignánſque Animus prorumpit ab artubus; iſtį
Procumbunt, illę ad ſtygias prouoluitur vmbras.

Finis Libri Octaui.

V.

Tædio vitæ priuatæ affectus statim Amurates, haud ægrè ab Chatite fido præ cæteris Bassa impellitur, ad resumendum Imperium: quod cupidè perficit, absente filio, magno militum plausu.

VI.

Malgurrius Cacodæmon, ad nuntium aduentantis Turcæ, vrbem Croiam terrore implet: describitur metus & trepidatio ciuium. Scanderbegus ad sedandum pauorem, edicit per præconem, vt qui fortunis suis timent, vrbe excedant; se cum paucis repulsurum hostes. Perseuerat metus, & dies occidit.

VII.

Sanctus Georgius, Croiæ Præstes, & Scanderbegi Patronus, Christum orat pro Croianis, post Christi responsum, Malgurrium dæmonem ex vrbe expellit.

VIII.

Describitur Croiæ Templum Sancto Georgio sacrum, Sancti Equestris ex ære statua, serpentis, & Virginis opem implorantis effigies.

IX.

Luce orta, Croiani ad Templum properant, Dei opem precibus inuocaturi; radiante præter solitum Sancti imagine, incenduntur ad bellum. Tum Peryleus Sacerdos, habita commoda oratione, primum incendium auget.

X.

Turba è templo erumpens, ad Regem decurrit, ac per Nicodem vnum è Croianis Principibus, se paratam ad belli munia prædicat.

XI.

Rex vt Mariæ deiparæ opem imploret, proficiscitur in proximam vrbi ædiculam, Diuæ sacram, & venerabilem religione.

XII.

Timotheus Ædis sacræ custos, somnium Regi exponit, quo iubetur ipse Rex à Deipara, nauigare ad Venetos, & militem flagitare.

XIII.

Rex iusso obtemperans, Zuniti tradit vrbis custodiam, & solus cum Manto Scutifero se ad iter comparat.

XIV.

Rex dum ad Portum Aulonem festinat, turbatur memoriâ sponsæ Irenes, quam profectam à patria, modò relinqueret inter belli pericula.

XV.

Angelus Custos amoris sensum à Scanderbegi mente amolitur. Comparatio Amoris cum ferro candente in aquam iniecto.

XVI.

Irenem profectam ad nuptias Scanderbegi, Pater Rex Mystiæ, audito belli fremitu, properanter reuocat.

XVII.

Irene de reditu deliberans, impellitur à Dicearcho Scanderbergi Legato, ad sequendam, & participandam cum eo sortem, aduersam vel properam. Cymodoon à patre nuntius, virginem sequitur.

XVIII.

Rex dissimulato cultu Epidamnum venit, dæmon Malgurrius eum mari vt arceat, tempestatem commouet. Oratio indignantis dæmonis; & tempestatis descriptio.

XIX.

Angelus sub nautæ forma Regem cymba excipit, pellitque Malgurrium, fluctus in cassum attollentem in cymbam. Comparatio lauæ defendentis muros in machinas.

XX.

Nauta inter nauigandum Regi narrat suas peregrinationes, quibus vniuersum Orbem exscribit.

XXI.

Nauta pergens cum Rege colloqui, situm Venetiarum describit, ciues commendat ob bella in Turcas gesta, & præsagit futuram ex Cretensi bello gloriam.

XXII.

Rex appulsus, agnoscit in Nauta Custodem Angelum, quem anteà in Hungaria viderat.

XXIII.

Charites Amuratis ad Venetos Legatus, orationem in Senatu habet, fœdúsque flagitat. Excusant se Patres à fœdere, & dimittunt Chariten.

XXIV.

XXIV.

Dimisso Chatite, in eodem Senatu, Scanderbegus etiamnum ignotus, pro se habet orationem.

XXV.

Rex à Venetis agnitus, peramanter excipitur. Illi Palatium in hospitium datur.

XXVI.

Garophylacium Venetum Regi expanditur: recensentur gemmæ pretiosæ; ac præcipuè lanx ex vna Callaida, quam dono dederat Cassanus Tartarus.

XXVII.

Armamentarium Regi ostenditur, variis armis instructum, quæ describuntur.

XXVIII.

Tormenta bellica Rex inspectat, & inuentum damnat. Nauium fabricam admiratur Rex: describuntur artifices; comparantur cum Tritonibus.

XXX.

Ad Murranum Insulam Rex deducitur, in qua spectat vitra miri artificij; parat se ad narrandum quæ sibi adolescenti, agenti apud Turcas, contigerint.

SYNOPSIS

LIBRI SECNDI.

I.

SCanderbegus post excusationem prioris vitæ, narrat quomodo à patre traditus sit Amurati; quàm ipsi gratus, & quam spem puer concitauerit de se.

II.

Scanderbegus Alcorano imbuitur, Acmeto formandus traditur; Acmeti præcepta.

III.

Euadit iaculandi peritus, aliásque ad bellum artes auidus arripit. Iaculandi peritiam coram Sultano ostentat feliciter.

IV.

Scanderbegus natatu præmium inter Ephebos reportat, diuinitus à monstro liberatur, & donatur admirabili Carbunculo. Comparantur Natantes cum Delphinibus.

V.

In somnis ab Angelo cœlesti liquore vngitur, viréſque mirum in modum augentur; Leonem erumpentem è cauea profligat spectante Amurate,

VI.

Scanderbegus militiam ab Sultano precibus flagitat, & Corbutum equum adipiſcitur. Describitur equus in palestram actus. Ad Triballorum bellum proficiſcitur.

VII.

Pugna Scanderbegi cum ſcytha, prouocante quemlibet è Turcis fortiſſimum.

VIII.

Duo Perſæ prouocant Scanderbegum ad certamen.

IX.

Acmetus iungit ſe Scanderbego; ornatus pugnantium, certamen, Acmeto occiſo, Scanderbegus vincit.

X.

Alarina Amuratis filia, Scanderbegi amore incenſa, Eunuchum Alaſonem ad eum mittit.

XI.

Pater ſcanderbegi ipſi apparet, ignibus purgantibus cruciatus, & cultum falſæ religionis exprobrat.

XII.

Scanderbegus ab Amurate in diſcrimen vitæ adducitur: accuſatio eius, & defenſio.

XIII.

Mutatur diuinitus Amurates, veniam flagitat à Scanderbego, eúmque mittit bello Hungarico Præfectum, contra Hunniadem.

XIV.

Scanderbegus pugnat in falſum Hunniadem.

XV.

Fictus Hunniades apparet Scanderbego Angelus ſuus Custos, à quo ad Christi fidem impellitur.

XVI.

XVI.

Scanderbegus ad voces Angeli, ad Christum conuertitur, & relicto exercitu Croiam saluus euadit.

XVII.

Bragadinus nobilis Venetus, flagrat belli Turciæ cupiditate.

XVIII.

Veneti arma Castrioto parant. describuntur.

XIX.

Godefridus Bullionius suum Ensem donat Castrioto.

XX.

Arma Castrioto donata à Venetis; Ensis nouus comparet, quem Castriotus Taumasium nuncupat.

XXI.

Isbella Bragadinum maritum lacrymis aggreditur, à bello Turcico auocatura.

XXII.

Bragadinus expedit se Isbellæ lacrymis, ad bellum profecturus.

XXIII.

Castriotus cum Venetorum copiis nauem inscendit, & inter nauigandum audit captam ab Amurate Spitigradam.

SYNOPSIS

LIBRI TERTII.

I.

AMVRATES castris Croiam cingit.

II.

Castrorum distinctio ad singulas vrbis partes, describitur Amuratis tentorium, & legio Ianizzerorum, cui dracutes Præfectus.

III.

Cacodæmonum cohors se Turcis immiscentium.

IV.

IV.

Amurates tormenta bellica in muros apparat.

V.

Tormenta exploduntur & labem inferunt muris.

VI.

Croiani labem muniunt, Irene incitat se ad bellum capescendum.

VII.

Irenes ad pugnandum ornatus.

VIII.

Amuratis impressionem iubentis oratio.

IX.

Dracutis statura, vires, arma, & oratio, ad cæteros depellendos Satrapas ab impressione.

X.

Impressio Croiæ illata, & repulsa.

XI.

Dracutes cum socijs primus murum conscendit.

XII.

Croiani Turcas repellunt, Græco præsertim igne coniecto.

XIII.

Aster impius, medicato illo igne correptus miserè perit.

XIV.

Dracutes ab Astracte Dæmone ab ignibus tegitur.

XV.

Croiani saxa ingentia prouoluunt in Turcas.

XVI.

Dracutes inscenso iterum muro Croianis imminet.

XVII.

Dracutes vulnerato Canno Croianos vrget.

XVIII.

Dracutes appetitus sagittis Irenes, eius amore captus hæret.

XIX.

Dracutes Irenen rapturus Cymodoonta grauiter sauciat.

XX.

Maria Deipara, Sanctum Georgium cœlo dimittit, ad opitulandum Croianis; hic in Turcas tempestatem concitat.

XXI.

XXI.

Dracutes vi tempeſtatis è muro deijcitur.

XXII.

Dum Croiani muri labem muniunt, Cymodoon Irenæ amorem aperit,& moritur.

XXIII.

Dracutis indignantis ad Sultanum oratio.

XXIV.

Caſſander Caſtrioto nauiganti, narrat quomodo Spitigrada per Cuniculos capta ſit,& Memnon occiſus.

XXV.

Caſtrioti ad Sanctiſſimam Deiparam preces & querelæ.

XXVI.

Angelus ſopitum & armatum Caſtriotum defert ſuper Croiæ muros.

XXVII.

Caſtriotus inter Turcas impreſſionem inſtaurantes, multam cædem patrat.

XXVIII.

Caſtriotus ſe Croianis exhibet,expaſſâ galeâ.

XXIX.

Dracutes iam victor.è medio foro reuocatus, in Caſtriotum pugnaturus reuertitur.

XXX.

Caſtrioti cum Dracute pugna:Turcæ muro pulſi.

XXXI.

Caſtriotus ab angelo reportatur Aulonem.

SYNOPSIS

LIBRI QVINTI.

I.

AMVRATES cōſulit Orcanum Magnum, de ratione vrbis capiendâ.

Orcanus per Hydromantiam conſulto Dæmone,dicit obſidendam vrbem Cuniculis.

III.

III.

Amurates castra muniti imperat, & Sarcano cuniculorum operam mandat.

IV.

Timotheus à BEATA VIRGINE edoctus, modum aperit Castrioto, quo Croiam propugnauerat.

V.

Pugna Bragadini Veneti, cum Charato Turca.

VI.

Bragadinus victor in nouum discrimen iniicitur.

VII.

Bragadinus Ignoti Bellatoris aduentu liberatur discrimine.

VIII.

Castriotus speculaturus castra Amuratis, dum Croiam inspicit, amore Irenes incenditur.

IX.

Castrotus vallum inspectat, & ægrè ab impressione se abstinet.

X.

Ignotus bellator Castrioto sistitur, ísque est Elricus, è Borbonia Regum Franciæ stirpe.

XI.

Castriotus cohortatur Proceres ad nocturnam impressionem in castra Amuratis.

XII.

Amurates incumbit effodiendis cuniculis.

XIII.

Ingens rupes impedimentum est cuniculis.

XIV.

Mahometus & Cantamirus ob cuniculorum moras indignantur.

XV.

Ad rupem amoliendam Sarcanus nouo inuento cuniculum nitrato puluere opplet.

XVI.

Castriotus noctu educit copias, ad faciendam impressionem in castra.

XVII.

Castriotus in Turcarum castra primus irrumpit.

XVIII.

XVIII.

Toxaris Tartarus iturus in prælium, laborat pro filio Anacharsi.

XIX.

Toxaris & Anacharsis ab Elrico victi, vita donantur.

XX.

Castriotus fratres duos vincit & mactat.

XXI.

Castriotus Cantamirum victum occidit.

XXII.

Noui pugnatoris egregium facinus.

XXIII.

Is pugnator Memnon, qui Castrioto casus suos narrat, amatam Helenam, Zunîtis filiam.

XXIV.

Pergit narrare captam Spitigradam, Helenam flammis extinctam.

SYNOPSIS

LIBRI QVINTI.

I.

AMVRATES post iram in Cantamirum effusam, statuit Lisanum amnem ab Croiæ muris auertere.

II.

Mahometus Castriotum ad singulare certamen prouocat.

III.

Amurates Resulanum satrapam ad prodendum Castriotum impellit.

IV.

Amurates obiurgatum Mahometem in custodiam mittit.

V.

Prodit Castriotus ad singulare cum Mahomete certamen.

VI.

SYNOPSIS

VI.

Castriotus proditus arte Amuratis, se ad pugnam generosè comparat.

VII.

Rostanis turma Castriotum inuadit.

VIII.

Bustmanus cum equitibus suis Castriotum impetit.

IX.

Ismel amore fatimæ à pugna inhibitus, mox impulsus gloriæ cupiditate occiditur.

X.

Intor pariter cum sua turma perimitur.

XI.

Sarpanus turmis pluribus iunctis in Castriotum inuehitur.

XII.

Castrioti mira fortitudo inter medios hostes, & equi Corbudi ardor admirabilis.

XIII.

Deipara opitulante, per duos Angelos seruatur Castriotus.

XIV.

Resultanus immutatus cœlitus se tradit Castrioto.

XV.

Osmanis regij adolescentis ad Amuratem aduentus.

XVI.

Osmanes ab Amurate excipitur.

XVII.

Osmanis ad Amuratem oratio.

XVIII.

Osmanes Mahometem iam liberum salutat, illique donat Virginem, fortè inuentam.

XIX.

Virgo Mahometi narrat, quæ fuerit, superstes ex Spitigradæ clade.

XX.

Amor Mahometis, post inspectam Virginem.

XXI.

XXI.

Virgo post lacrymas & preces castitatem Deo vouet.

XXII.

Amuratis curâ Lisanum amnem auersum, Angelus adauctis aquis alueo suo restituit.

SYNOPSIS
LIBRI SEXTI.

I.

NAtali die Amuratis, Ludi militares celebrantur in castris.

II.

Fratrum geminorum pugna ludicra.

III.

Fratrum liberi nouam pugnam instituunt.

IV.

Satrapæ in stipitem armatum decurrunt.

V.

Osmanis egregius in stipitem cursus.

VI.

Eunuchus Castrioto narrat constantem amorem Alariuæ.

VII.

Eiusdem piam mortem narrat.

VIII.

Mahometis flagrantissimus amor in Virginem.

IX.

Amurates filium obiurgat,& Virginem abducit.

X.

Amurates visa virgine, amore corripitur.

XI.

Amurates vni amori intendit, cura belli neglecta.

XII.

Orcanus, Astarte per Hydromantiam consulto, videt Cacyam Dæmonem miscere inter Turcas discordiam, eum Croiam per Astartem mittit.

XIII.

Cacyas Catitis formâ aſſumptâ Euſtathium Croianum impellit, ad incendenda horrea publica.

XIV.

Conflagrant horrea, igne immiſſo ab Euſtathio.

XV.

Idem Euſtathius Croiæ ſeditionem concitat.

XVI.

Irene Croianas mulieres ad reſiſtendum oratione inflammat.

XVII.

Eudoxa nobilis Croiana Aneximenem filium ad militiam impellit.

XVIII.

Eadem habita oratione vehementer Croianos increpat.

XIX.

Irene noua oratione Croianos reuocatos à ſeditione, ad erumpendum inducit.

XX.

Euſtathio proditore rapto in vincula, ciuis erumpit in caſtra Amuratis, ſimul immiſtis fœminis.

XXI.

Sabatius occiditur, in quem inſtituta eruptio, Aneximenes egregia patrat.

XXII.

Oſmanes Croianos repellit, & Aneximenem perimit.

XXIII.

Eudoxa filij corpus Croiam defert, & ab Irene excipitur.

XXIV.

Memnon in Virgine Turcis erepta, reperit Helenam ſibi chariſſimam.

XXV.

Helena narrat, quomodo Angeli ductu per ſpitigiadæ flammas euaſerit.

XXVI.

Narrat quomodo à viro rustico sit excepta.

XXVII.

Exponit vitæ rusticæ iucundum otium.

SYNOPSIS
LIBRI SEPTIMI.

I.

Zelotypia Orco emissa.

II.

Zelotypia ob pulchritudinem Helenæ Irenem turbat.

III.

Eadem Venetiis Isbellam concitat.

IV.

In castris eadem Mahumetem vexat.

V.

Amurates captiuos spirigradæ Mahumeti Prophetæ mactat in ferias.

VI.

Captiua nobilis Amuratem pro filia precatur.

VII.

Filia pro matre contendit.

VIII.

Noua vtriusque contentio.

IX.

Amurates iubet alterutram eiurare Christianam fidem.

X.

Mater & filia crudeliter perimuntur.

XI

Helena ob votum castitatis sollicita, vt Memnonem amatorem fugiat, medicatis aquis vultu immutato, Croiam ad patrem per Turcarum castra contendit.

XII.

Orcanus per Hydromantiam deprehendit in castris Helenam, abducitque captiuam.

XIII.

Helena pristinæ formæ restituitur.

XIV.

Helena Mahometem aspernatur.

XV.

Memnon Mahumetem in certamen prouocat.

XVI.

Prælium conferunt Mahometus & Osmanes contra Memnonem & Bragadinum.

XVII.

Memnon Mahometum vulnerat.

XVIII.

Bragadinus sauciatur grauiter, Memnon à Mahumete occiditur.

XIX.

Helenæ questus ad reuulsum Memnonis caput.

XX.

Helena ope Deiparæ casta & illibata moritur.

XXI.

Bragadinus saucius defertur ad Castriotum.

XXII.

Bragadinus post Isbellam agnitam expirat.

XXIII.

Isbella cum mariti cadauere venetias repetit.

XXIV.

Amurates & Castriotus ad extremam pugnam se comparant; Orcanus magna præsagit Mahometi.

XXV.

Sanctus Georgius Orans pro euertendo per Castriotum Turcarum Imperio, accipit id deberi futuro olim Franciæ Regi.

SY

SYNOPSIS
LIBRI OCTAVI.

I.

APparatus Turcarum ad pugnam, Duces describuntur, Mahometus, Osmanes, & Amurates.

II.

Tormenta bellica loco moueri nullo possunt conatu.

III.

Explosa tormenta disrumpuntur, Amuratis fortitudo.

IV.

Castriotus expedit turmas; describitur, suos adhortatur, Elricus comes.

V.

Incipit pugna, & promouetur.

VI.

Mahometes stragem magnam edit, & Timoleontem necat.

VII.

Mahometes ab omnibus impetitus.

VIII.

Elricus Germanos fratres interimit.

IX.

Elricus Mecmutem vincit.

X.

Osmanes per multas cædes grassatus, Theodorum interimit.

XI.

Elrici pugna cum Mahomete, Mahometes equo deturbatur.

XII.

Osmanis & Elrici pugna.

XIII.

Angelus Custos Elrici, post fusas preces, morientis animam in cœlum defert.

XIV.

Castriotus obuios mactat, in eum Amurates Ianizzeros totos immittit.

XV.

Castriotus in Amuratem inuehitur, Mahometus saucium patrem periculo liberat.

XVI.

Osmanes Mahometum saucium morti eripit, cum Castrioto pugnam instituit.

XVII.

Arte & palæstra corporis Osmanes vim Castrioti eludit.

XVIII.

Amurates in castra defertur, ipsius indignantis oratio.

XIX.

Captiui cæsi Amurati minas graues intentant.

XX.

Amurates in furorem agitur.

XXI.

Osmanes à Castrioto vulnus læriferum accipit, & à suis eripitur.

XXII.

Castriotus Turcas passim in fugam agit.

XXIII.

Osmanes Baptismi aquis abluitur.

XXIV.

Pius Osmanis interitus.

XXV.

Amurates Orcanum perimit; & desperatione in furorem agitur.

XXVI.

Amurates sibi manum inferens, prohibetur à suis.

XXVII.

Amurates victorem Castriotum spectans, moritur præ furore.

IOAN


CARMI
NA
VARIA
F. Cars. fecit

IOANNIS
DE
BVSSIERES

è Societate IESV,

CARMINA VARIA.

CARMINVM INDICVLVS.


Cardinali Carmen Panegyricum.
In Circumcisione Domini
S. Adelardus. — Idyllia
S. Genouefa. — Sacra.
S. Gregorius.
S. Simeon Stylites.
Stella Magorum Dux.
Par seu Castellum.
Lidninus. — Eglogæ
Aran Iuestum. — Hortenses.
Aristus. Pars prima.
Pars secunda.
Monita Christiana.
Solitudo. Egloga.

AD

AD LECTOREM.

POST continuam Poëmatis lectionem, varium Carmen attexo; quo, si vacat vltra perlegere, reficiatur animus, Epicà grauitate forsan attentior. Licebit etiam interiungere, & Tragœdiæ diludia sua apponere. Habet Sacra Idyllia, descriptiones, & Eglogas; argumenta à Rure petita plurimùm; nam vt oblectarem; mutuatus sum à Natura, quod in ea quam maximè placet. Eglogas appellaui Hortenses, quoniam versantur iu Hortorum cultu, carmine pastoritio ad olitores deducto; quod viduus nouum videbitur, reputantibus Piscatorias Eglogas induci à Sannasano.

EMI



EMINENTISSIMO PRINCIPI

CÆSARI FACHENETTO,

S. R. E. CARDINALI,

EPISCOPO SPOLETINO.

Carmen Panegyricum.

P*ECCAREM in officium,* EMINENTISSIME *Princeps, si quid ederem, quod tuo nomine insculptum nõ foret. Eamobrem ausus sum in Poëtico opere præclarissimas tuas & admirabiles dotes versu delibare. Spero, qui tibi placuerim oratione soluta, strictâ non molestum fore Eminentiæ Tuæ. Nam tametsi debeam ingenij tui aciem atque apicem vereri & revereri summoperè, tamen expertus beneuolentiam tuam, eam appello; & me ad gratiam suauissimam applico, quam dignaris opusculis meis tam benignè & amanter impendere.*

SACRA fero. Procul hinc vani figmenta Poëtæ,
Diuarúmque chorus mendax, & inanis Apollo,
Tu Pietas, mihi Phœbus eris; tu Carmina vati
Digna sonaturo, tu fontem, & culmina montis
Sufficies, floréſque dabis, lauróſque virentes.
Quippe alio nequidquam auſim te Numine, Cæſar,
Concinere, & magnas in verſum includere dotes.
Quanquam ambit circùm ſplendens te plurima virtus
Decere; Nobilitas, rebúſque Scientia prægnans,
Celſus Honor; vellúntque aurem, blandúmque ſuſurrant.

PARS I.

Vaticinium matris de futura Cæſaris magnitudine.

TE poſtquam genitrix primas in luminis auras
Fuderat è gremio, cunáſque ornauit auita
Nobilitas, gemmis radians, & murice fulgens:
Extemplò infantem Pietas circumdedit vlnis,
Infuditque poli cultum, ſummúmque timorem
Numinis, & caſtos cœli adſpirauit amores,
Miratur Violanta patens, Sacrúmque nitorem
Suſpicit, Auſtriaco fulgens de ſtemmate mater,
Par & Auis Violanta ſuis; vatéſque repentè,
(Afflat matrem infans) his vocibus ora reſoluit;
Plena Deo, dum fata legit, pandítque futura.
Quis nouus inſedit fulgor! qua luce Puelli
Ora micant! gemino radiant vt lumina ſole!
Non hunc te genui: agnoſco cœleſtia dona.
Quantus eris! tua laus quanto ſe vertice tollet!
In nomen gentémque tuam quæ gloria ſurgit!
Non belli ſtudiis, non Martis amore cruenti
Magnus eris; placuit Cœlo tibi condere fatum
Mitius, & ſanctâ in pacem formare mineruâ,
I puer, Ingenium quò te vocat; ardua ſcande
Per ſtudia; & doctas artes, & Numen amandum,

Fige

Fige animo, gratus viuis superisque futurus.
Quam molem capies rerum! quæ mente capaci
Stipabunt sese simulacra, & imagine multa
Grandia depingent! Tibi se natura recludet,
Et Deus admittet curas studiúmque perenne.
Iam septemgeminis Princeps te collibus ambit
Roma, caput mundi; cultum, affectúmque, & amorem
Congerit, & plaudens fastigia iactat Honorum.
Nec laudes meritúmque tuum conscribet amando
Ausonia; aut claustris te clauserit Apenninus,
Alpinæue niues, geminíve repagula Ponti:
Ecce aduentantem rapidus miratur Iberus,
Sustollítque stupens fluctus, atque eminet vndis.
At Tagus auricomos inter spectabilis amnes,
Postquam fama tuis implêrit laudibus aures,
Et magnum Castella decus vulgauerit orbi,
Præcipiti fluctum cursu deuoluet in æquor,
Grandia dicturus Nereo, Nereíque puellis.
Et lux splendidior Tibrim percellit Etruscum,
Instaurat studium antiquum; iubet inde reuerti
Quem colat. Extemplò redeuntem insignis amicit
Infula, & emeritum sacris ornatibus auget.
Et quanquam ambitui tua, Nate, modestia mentem
Clausit, fœta sui, mundíque cupidine maior;
Te tamen ambit Honos, & te fulgentior ornat
Murice; purpureo radiantur tempora texto.
Ah, quem te video! quantâ circùm omnia latè
Luce vibrant! igne astrorum tibi purpura fulget.
In fatis mihi plura tuis spectanda supersunt;
Sed tenuem fugiunt aciem, caligine spissa
Condita, & in seriem longos digesta per annos.
Imple facta Puer, stadium decurre paratum,
Quod superi strauere boni; tibi Numen amicum
Optatam sortem & felicia sidera donat.

PARS

PARS II.

Adolescentia Cæsaris, studia, & Vrbani in eum amor.

HÆc Violenta canit. Materna oracula Nati
Acta probant, vatem euentus dixere sequuti.
Vt puer è cunis reptat, formántque tenellam
Linguam verba, pedésque noui vestigia signant;
Imbuit addictum Pietas; rapit acer alumnus
Quæ Superis placeant; cœli, crescentibus annis,
Crescit amor; castum frigus sub pectore puro
Labitur; ætatem anteuenit Prudentia maior.
Mox vbi Palladias animus contendere in artes
Incipit, & doctos pronum se condit in haustus;
Qui latices repulere sitim! quàm multa capacem
Mentem ornant! amplus locus est, & pluribus vnus.
Vertice Pierio lætæ admisere Camœnæ;
Pytho artem promit, variis instructa figuris;
Clara per Annales, Regúmque illustria gesta,
Historia, expandit fastos, momentáque rerum,
Præteritis præsentem adhibet, sistítque futuris,
Tum placita inspectat propius mens docta sophorum,
Ampla stagiritem euoluit, lustrátque Lyceum
Sedula, naturámque sagax peruadit opertam.
Sidera dein cœlósque subit; summîque Tonantis
Progeniem, diuúmque Hominem, & cœlestia noscit
Agmina, & obscuræ Triados mysteria pandit.
Non aliter fuluis præpes Iouis armiger alis,
Anteuolat volucres, transcendit nubila, summo
Æthere; turba humili demittitur ima volatu,
Nec tamen vnam implent diuina humanáque mentem;
In legum sancita volat, Themidísque pererrat
Dogmata, Pontificum Regúmque tenacia iura.
Verùm ego, doctrinas inter, monumentáque rerum,
Gratulor Historiæ; tibi me contracta latentem
Ostendit, florésque meos sub lumina misit.

Ah

Ah vtinam, nec displiceant quæ carmina pango,
O Cæsar! celsúsque animus, quæ maxima paruus
Concino, decliuus faciles admittat in aures.
Quinque viro lustris properans decurritur ætas;
Et iam Roma vocat: magnis nam dotibus ampla
Scena pater, dignúmque alta virtute theatrum,
Mœreat, an lætos formosa Bononia sensus
Hauriat, ambigua est; patrios dedit illa penates,
Substrauítque solum nascenti, & præbuit auras.
Lugeat, orbari, speciménque amittere sancti
Ciuis, & externis spem certam impendere terris.
Gaudeat, externas longè splendere per oras
Ciuem summa suum; se tolli ad limina cœli.
Scilicet vt primùm Romana in luce videndus
Fulges luce tua, clarum inter sidera sidus;
Vrbani, Terræ ille Deus, iam pectora mulces.
Quippe sagax sanctúsque senex, penetrabat in altam
Virtutum sedem, spem certam & vota legebat.
Hinc Apibus condire fauos, hinc ducere mella
Grata iuuat, succísque tuis distendere cellas.

PARS III.

Cæsar Pontificis Nuncius in Hispania.

POstquam Roma tuas experta est sedula dotes,
Ingeniúmque animúmque probans, ad grandia dignum
Seligit, & curis Iuuenem maioribus aptat.
Ad fortes, extra numerum legatis, Iberos,
Nuncius, & rerum momenta ingentia versas.
In Turcam bellum incendis, scythicóque minaris
Sultano; Sancto exundant de pectore voces.
Quid malè Christiadæ tantùm ciuilibus armis
Sanguinis, & tantas fratres effunditis iras?
Non super est hostis? prædo non publicus instat?
Non armis terram victor pontúmque fatigat?

Q. Præda

Præda illi; quid opes referam? raptúque puellæ,
Vxorésque, Crucésque sacræ: iam Luna replebit
Totum orbem; nostrum offundet nox impia solem.
Aspicite, ô fortes, Mahumeta è gente trophæa,
Quæ posuere patres; palmæ quot sanguine Turco
Immaduere; sacris crescit quæ laurea vellis;
Et pudeat, clarum in fratres consumere martem.
Hæc Cæsar gemitus inter magno intonat ore;
Mars audire vetat, stygiísque accincta colubris
Tysiphone, latè spargens incendia regnis.
Conflagrat Europe; Francus concurrit Ibero;
Scinditur in partes orbis, bellúmque ministrat.
Nondum etenim thalamis virgo Theresia Francis
Matura, æternæ pacis Theresia mater,
Nondum connubio signatum impleuerat annum.
Nunc bella extinxit, sancto nunc fœdere pressit
Tysiphonem, dirásque faces sub Tartara misit.
Priuatum interea bellum, & discordia rixæ
Semina, Christiadis atrox paritura venenum,
Præfocare sagax, contraria pectora iungis.
Vrbani studiis infensior ibat Iberus,
Feruebántque animi; prudens fidúsque Minister,
Et fortis, tractas animos; blandúsque timorem
Insinuans, æqui vindex, sacra iura reponis,
Audiit æterna dominans Capitolia sede,
Dilexítque fidem, gratáque oracula voce
Protulit: vrbs septem de montibus applaudebat.
Dicitur ipsa etiam plausisse Hispania, montes
Inter & Oceanum; Pyrene vertice mota est,
Et Thetys exundans influxit in ostia Bætis.
Non aliter sæuo in pelago dirísque procellis,
Pinum rector agit, clauum detorquet in vndas,
Et latera alternans, frangit mollitve furorem:
Donec in optatum commota per æquora portum
Appellat; gemino terram premit anchora morsu.
Mox lætis feriunt vectores vocibus astra.
Quin Deus aspirat votis, Regináque Diuûm
In donis cupit esse tuis. Natalia puræ
Virginis, & primæ texentem exordia vitæ,

Immunem labis miseræ pestísque furentis,
Ærea testantur monumenta. Hæc abdita quondam
Granatæ, tellure alta defossa latebant,
Dum Saraceni vrbem regno tenuere Tyranni.
At postquam Hispani Reges Mahumetica sceptra
Excidere; Orcíque iugo Granata leuata est;
Tunc Maria palàm monumenta recondita fecit,
Deprompsitque orbi. Redamant monumenta Philippi,
Nec gasa regnum orbari patiuntur amata.
Tu Cæsar Sanctas adhibes industrius artes,
Ingeniúmque pium; pugnacia pectora Regis
Expugnas; donas cupidæ Sacra pignora Romæ,
Granatámque nouus victor noua sub iuga mittis.
Applausit, gratúsque animo monumenta recepit
Tarpeia de rupe Pater; plausêre cohortes
Angelicæ; placet integritas testata Mariæ,
Assertúmque decus Reginæ, & purior ortus.

PARS IV.

Cæsaris in Italiam reditus, & dignitates.

Pileus extemplò præludit honoribus amplis
Purpureus, coccóque nitens te purpura vestit.
Virtutes cœlo lapsæ lætanter amictum
Deproperant, fila attexunt, miscéntque colorem.
Vrget opus Pietas, partitáque munia signat.

Innocentius IX.

Fulgentem vt Patruus celso respectat Olympo,
(Quem triplex quondam Romana in sede thiaras
Ornarat, desideriis præreptus amicis
Ante diem, summum postquam libauit honorem;)
Et monstrante Deo lustrat pia fata Nepotis,
Ac seriem longam annorum, triplicémque Coronam,
Virtutúmque chorum; meritis superantibus annos,

Fatorum auctori grates agit, & noua carpens
Gaudia; prosequitur votis tua prospera Cæsar,
Imples fata citus, rebus maturrimus amplis,
Spoletúmque beas. Felix dedit illa regendam
Se tibi; nec superest illi, quod vota lacessant.
Es pater & Præsul, mentes & corpora pascis;
Lingua manúsque iuuant miseros; sacra verba loquutus,
Purgas é vitiis, virtutum incendis amorem,
Exemplóque doces: Tibi larga pecunia, donum est
Quod tribuas, non quod cumules, arcáque recondas.
Te Musæ, doctíque colunt; te sanctior ambit
Historia,& veris insertum Annalibus optat.
Ipse ego, terrarum tractu spatióque remotus
Immenso, Rhodanus præceps vbi suscipit vndis
Lentum Ararim, veteris quæ prima Colonia Planci,
Luce nouâ, Cæsar, perstrictus lumina, miror
Virtutes dotésque tuas; & tenuia pango
Carmina, quæ pauper duco de paupere censu;
Felix, si placeant; natámque ad maxima mentem
Oblectent parua, & gratum testentur amorem.
Verbo parce: Amor est summo reuerentia cultu.

IN

IN CIRCVMCISIONE D. N. IESV CHRISTI.

IDYLLIVM I.

PVRIOR æterno Sol circumfuderat igne
Larum orbẽ, postquã nascens de Virgine partus
Sanctior, humano condebat corpore Numen.
Fascia iam prõpta est, culter iã saxeus horret,
Splendescitque acies, Sacrũ bibitura cruorem.
Lex vrget, teneráque iubet de pelle recidi.
Et quanquam haud vllam sordem contraxit Adami,
Conceptus siue labe Puer; tamen ipse notari
Sic velit, & culpâ immunis sic plectere culpam.
Adstabat mater, præsumpto vulnere mater
Saucia iam, cultro integras penetrante medullas,
Tum Nato supplex, tacito sic corde loquuta est.
Quid properas? turgent adeò tibi sanguine venæ?
Chare Puer, teneros artus in vulnera duras,
Quis liquor erumpet plaga? num lacteus humor
Effluet? hæreat ô casso sub vulnere sanguis,
Lintea nec madeant cœlesti vincula rore.
Nam quæ lex in plagam adigit? Tu lege solutus
Sanguinea; noxâ liber, vis pendere noxam.
Nil ego te Nate afficiam? miseratio matris
Nulla erit? heu primo Nati sub vulnere matris
Casuræ. Ista Parens. Natus cui mente reponit,
Audit mente Parens, & percipit intima Nati.
O Mater, summum debes meminisse Parentem,
Sancitásque polo leges, impostáque iura.
Sic decet. Humanas libato sanguine noxas
Purgare incipiam. Tu mentem in vulnera firma,
Nam sunt plura super. Veniet, nec lenta moratur,
Illa dies, qua rupta cutis dabit vndique fontes,
Atque vnum appenso fiet de corpore vulnus,

Tunc doleas, capiásque imo sub pectore luctum.
Ista leuis plaga est. Et durum quid sit amanti?
Dilige: Sanctus amor luctus & tædia mollit.
Sic ait. At pellis cultri sub vulnere circùm
Scissa cadit; cruor exundat, vagitibus æther
Personat, icta simul mater suspiria ducit.

Sanctus Adelardus, Abbas Corbeiensis, ex Aula in exilium pellitur.

IDYLLIVM II.

IAmdudum Carolus, fatis ereptus iniquis,
Imperium; Lodoice, tibi, francóque regendos
Liquerat, & Magni in terris cognomine clarus,
Astra super, superûm consors, regnabat Olympo.
Vnus Adelardus, Regi Dux atque minister
Consiliis, sapiens rerum moderatur habenas:
Et quanquam inuitus perstat, cupidúsque recessus,
Corbeiæque optat reddi, sanctisque tenebris,
Attamen Imperio se commodat; omnia ductum
Accipiunt (vis tanta animi) regiménque sequuntur,
Sed non Inuidiæ potuit compescere virus,
Inuidiam quis enim vincat? fremit illa, furorémque
Auget atrox, funditque imis mala toxica venis.
Obsequij impatiens prauo demurmurat ore
Aulicus, & dudum conceptas euomit iras.
Ergóve perpetuis, miseri seruire cucullo,
Mancipiis, & ferre iugum cogemur inertes?
Quid Monacho cum Rege? Throno quid cella superbit?
Non satis Ambitio, Carolo patiente, tot annos
Regnauit? iuuat vsque nigro parere Tyranno?
Mors Carolum rapuit fugitiuus hypocrita claustro,
Regnat adhuc, legésque viris dat transfuga cellæ.
Idque probrum armati patimur? Mox scilicet ensem
Tractabit, galeam sumet, ducétque cohortes.
Quin ceruice iugum excutimus, longéque cuculli

De

Desertorem agimus? fortunam audacia vincit.
Fraudibus hinc Regem aggressi, falsísque prementes
Criminibus, mentem auertunt, odiúmque lacessunt.
Vir pius, extorris, fallace expellitur Aula;
Nec iuuat integritas, longisve exercita curis
Officia, aut fœti sanctis virtutibus anni;
Inuidiæ hæc præbent escam, pascúntque furorem.
Insula Aquitano sub littore rupibus horret,
Deserta, & sterili spinis nascentibus aruo;
Hæc Monachis sedes, hic Sancta per otia vitam
Ducunt ignoti, propiúsque ad sidera surgunt.
Ac veluti postquam cauea dimissus Aëdon,
Æthera per, nidum inuisit, pullósque loquaces,
Et liber cantum instaurat, carménque retexit.
Sic pius ore senex animóque ingentia carpit
Gaudia, & exilium pro libertate capessit.
Vt primùm felice solo vestigia figit,
Vocem non cohibet, Sacra dulcedine captus.
Hic pacis locus, hic requies; procul inde tumultus
Aulicus, & miseræ fugienda negotia vitæ.
Nunc liber, compósque mei; nunc viuere tandem
Incipiam; cœlo, terrena facessite, reddor.
O malè consumptos curis lassantibus annos!
Hic honor est vobis! merces manet ista labores
Assiduos! hæc præmia sunt, hæc gloria mundi!
Præmia enim, votísque diu quæsita precanti,
Exilium, Procerúmque fuga. O secura procellis
Ventosis statio! felix quod littore fixit
Naufragium! Seruor periens. O gaudia cœli,
Iam tota vos mente bibam Iiam tædia nulla.
Huc ades, ô fraterna cohors; vos cœlibe vita,
Obsequióque, pares sanctis qui nuntia portant
Spiritibus; vos ô dites sub paupere tecto;
Accipite indignum socium. Iuuat ire labores
In vestros, vigilésque simul producere noctes;
Nil senium canique vetant: imponite pœnas,
Nam merui, cella profugus, tardéque receptus.
Sic ait. At pectus penetrabat Sancta voluptas,
Traduxitque hyemes septem, septémque peregit

Lætior æstates: donec reuocatus in Aulam,
Se Regi, non sponte sua, primásque reduxit.
Ærumnas, tunc tandem exul, longéque futurus
A patria, sancta inuitè diuulsus eremo.

Sancta Genouefa oues pascit.

IDYLLIVM III.

QVid pascis Genouefa gregem? quid ouilia tractas?
Te maiora manent. Toto celebraberis orbe;
Te populis Asiæ Simeon super æthera vectus
Monstrabit; Francos Reges meliora docebis,
Cogésque imperio; parebunt Tartara iussis
Dira tuis; facies naturam, euentáque rerum.
Et te, Parisii Regina Lutetia campi,
Quà rapidus geminos dispertit Sequana fluctus,
Te, noménque tuum, sanctósque nquabit honores
Attamen is duce sola Deo, primísque sub annis,
Longè tecta fugis, pecudes in pascua ducens.
Cùm cœli roseas pandit Titonia portas,
Virgo educit oues, & agit per gramina læta.
Agnoscunt Elementa piam: sub passibus herbæ
Succrescunt, & blanda pedi vestigia sternunt.
Rorem terra bibit, noceat ne defluus humor,
Et prægnans circùm è gremio parit agmina florum:
Hi capita attollunt, pictíque coloribus ora,
Aut carpi dextra, aut suras contingere certant,
Molliter in prato decliui limpidus vnda
Riuus init cursum, ripámque audacior vrget,
Si plantas libet teneras, atque oscula iungat.
Pallida fronde salix, truncóque excelsior alnus,
Stipantur foliis, vmbrámque in pascua densant.
Frondibus excurrit Zephyrus, blandóque susurro
Æmulus vrit aues; illæ concentibus auras
Demulcent, pugnántque Dei Defundere laudes.

Circumstant pecudes, pendéntque ex ore puellæ,
Graminis oblitæ; simul exilientibus agnis
Blandimenta parant, vestémque allambere gaudent,
Contendit propius custos gregis ire Melampus,
Et linguâ ignaram mulcet, palpúmque reposcit.
Illa Deo mentem infigit, mundíque placentis
Immemor, Astra superuolat,& noua gaudia quærit.
Quin sæpe aligero è cœtu pascentibus adstant
Læti ouibus vicibúsque suis ad gramina ducunt.
Ille herbas succo nutrit, dat fontibus vndas
Hic nitidas, ramis vmbrantibus alter opacat
Secessum, campos dum Sicius vrit apricos;
Iste lupos abigit, remouétque à vellere sentes.
Ipse etiam Christus, Pastorem indutus, amicis
Recreat alloquiis, diuinóque ore puellam.
Multa docet; qui sit patrati criminis horror,
Quàm sit purus Amor; leuis hunc contagia culpæ
Vt maculent; cœli donum quid perdere possit;
Gratia quàm multis obstructa canalibus hæret.
Virgo audit, penitúsque ima sub mente recondit;
Certa mori potius,quàm sponte offendere Numen.

Sancti Gregorij Episcopi Lingonensis Noctes fortunatæ.

IDYLLIVM IV.

Siue dies Phœbi formoso luceat igne,
Seu nubes gratâ ardentem demitiget æstum,
Seu Zephyrus blandis aspirans flatibus auras
Mulceat, aut densæ frigescant quercubus vmbræ;
Gregorius queritur : cessante expostulat axe
Ire dies, pigrósque vehi sub Apolline currus,
Accusat lucem, tenebras pia vota reposcunt.
Quid tardas condi pelago; sol inuide? dudum
Lætitiam differs, fugiunt mea gaudia lucem.

Lætior æſtates: donec reuocatus in Aulam,
Se Regi, non ſponte ſua, primáſque reduxit.
Ærumnas, tunc tandem exul, longéque futurus
A patria, ſancta inuitè diuulſus eremo.

Sancta Genouefa oues paſcit.

IDYLLIVM III.

QVid paſcis Genouefa gregem? quid ouilia tractas?
Te maiora manent. Toto celebraberis orbe;
Te populis Aſiæ Simeon ſuper æthera vectus
Monſtrabit; Francos Reges meliora docebis,
Cogéſque imperio; parebunt Tartara iuſſis
Dira tuis; facies naturam, euentáque rerum.
Et te, Pariſii Regina Lutetia campi,
Quà rapidus geminos diſpertit Sequana fluctus,
Te, noménque tuum, ſanctóſque nouabit honores
Attamen is duce ſola Deo, primíſque ſub annis,
Longè tecta fugis, pecudes in paſcua ducens.
Cùm cœli roſeas pandit Titonia portas,
Virgo educit oues, & agit per gramina læta.
Agnoſcunt Elementa piam: ſub paſſibus herbæ
Succreſcunt, & blanda pedi veſtigia ſternunt.
Rorem terra bibit, noceat ne defluus humor,
Et prægnans circùm è gremio parit agmina florum:
Hi capita attollunt, pictíque coloribus ora,
Aut carpi dextra, aut ſuras contingere certant,
Molliter in prato decliui limpidus vnda
Riuus init curſum, ripámque audacior vrget,
Si plantas libet teneras, atque oſcula iungat.
Pallida fronde ſalix, truncóque excelſior alnus,
Stipantur foliis, vmbrámque in paſcua denſant.
Frondibus excurrit Zephyrus, blandóque ſuſurro
Æmulus vrit aues; illæ concentibus auras
Demulcent, pugnántque Dei Defundere laudes.

Cir

Circumſtant pecudes, pendéntque ex ore puellæ,
Graminis oblitæ; ſimul exilientibus agnis
Blandimenta parant, veſtémque allambere gaudent,
Contendit propius cuſtos gregis ire Melampus,
Et linguâ ignaram mulcet, palpúmque repoſcit.
Illa Deo mentem infigit, mundíque placentis
Immemor, Aſtra ſuperuolat, & noua gaudia quærit.
Quin ſæpe aligero è cœtu paſcentibus adſtant
Læti ouibus vicibúſque ſuis ad gramina ducunt.
Ille herbas ſucco nutrit, dat fontibus vndas
Hic nitidas, ramis vmbrantibus alter opacat
Seceſſum, campos dum Sicius vrit apricos;
Iſte lupos abigit, remouétque à vellere ſentes.
Ipſe etiam Chriſtus, Paſtorem indutus, amicis
Recreat alloquiis, diuinóque ore puellam.
Multa docet; qui ſit patrati criminis horror,
Quàm ſit purus Amor; leuis hunc contagia culpæ
Vt maculent; cœli donum quid perdere poſſit;
Gratia quàm multis obſtructa canalibus hæret.
Virgo audit, penitúſque ima ſub mente recondit;
Certa mori potius, quàm ſponte offendere Numen.

Sancti Gregorij Epiſcopi Lingonenſis Noctes fortunatæ.

IDYLLIVM IV.

Siue dies Phœbi formoſo luceat igne,
Seu nubes gratâ ardentem demitiget æſtum,
Seu Zephyrus blandis aſpirans flatibus auras
Mulceat, aut denſæ frigeſcant quercubus vmbræ;
Gregorius queritur: ceſſante expoſtulat axe
Ire dies, pigróſque vehi ſub Apolline currus,
Accuſat lucem, tenebras pia vota repoſcunt.
Quid tardas condi pelago; ſol inuide? dudum
Lætitiam differs, fugiunt mea gaudia lucem.

An ſtas ipſe, gradúmque inhibes? Sed prælia nullus
Concitat hîc Iosue, non palma ex hoste petenda est.
Nec pius Ezechias, morbo tentatus iniquo,
Mortique appoſitus, retrò tua lumina flecti
Optat, iter non tentatum mirantibus Aſtris.
Sanctior eſt nox luce tua. Nox prima creato
Circumfuſa orbi, naturam, elementáque vidit
Mille oculis; cæca obſcurus ſub mole latebas,
Necdum importunam ſpargebas æthere lucem.
Tranſmiſit pelagus nocturno ſidere moſes,
Incolumémque altis populum deduxit ab vndis.
Nec tibi prodigium patuit mirabile mundo.
Annon patrauit myſteria nocte ſilenti
Aſſumpta ſub carne Deus? deſcendit Olympo,
Virginis in gremio pondus ſibi corporis aptans,
Sidera dum nocti illucent, lunámque coronant,
Naſcitur in ſtabulo, dum circumuolueris orbem
Oppoſitum; excitus colit incunabula paſtor
Nocte vigil; nocte Angelicæ fulſere cohortes,
Et pacem humano generi cecinere beatam.
Quid radios vanè oſtentas, luménque coruſcas?
Non eſt, iſta dies; vni lucebit Olympo
Vera dies; ſpiſſa latet hoc caligine lumen.
Hæc inter noctem votis precibúſque vocabat,
Compellans lætè, & verbis blanditus amicis.
Ac meritò. Poſtquam occiderat ſol aureus orbi,
Nónque obuelabat nigro velamine terras;
Et iam cuncta ſilent, oppreſſáque corpora ſomno.
Feſſa iacent? vnis cœlo vigilantibus Aſtris;
Gregorius prodit latibus, turbæque miniſtræ
Ereptus, ſancta ad Templum veſtigia confert.
Aduentat, patuere fores, operáque mouente
Angelica, cardo amotus, valuæque recluſæ.
Perſonat ecce chorus; ſanctus venit incola cœli,
Et latè complens ſedes, pia carmina laudum
Concinit; vnanimi reſponſant organa voci,
Aurea cœleſtes reddunt laquearia cantus.
Præſul humi fixus, mentem cœleſtibus implet
Deliciis; mundum oblitus, vitámque caducam;

Et

Et medius ſuperos inter, veriſſima libat
Gaudia; nec cœlum cupiat, ſedéſve beatas.
Nox perit interea, properantia ſidera curſum
Conficiunt, ſoluítque breues Aurora tenebras.
Feſtinam accuſat Præſul, repetítque penates;
Et ſanctè impatiens, rediturae gaudia noctis
Occupat,& lucem ſpe certa fallit inanem.

S. Simeon Stylites, Trophæum Chriſtianæ patientiæ.

IDYLLIVM V.

QVis nouus immoto tranſcendit nubila curru
Dædalus, & volucres vltra, ſuper æthera ſurgit?
Quis ſtatuam potuit celſa fixiſſe columna
Praxiteles, viuiſque pares effingere vultus?
An cecidit cœlo ſimulacrum, exſculptáque miris
Ora modis, artem debent formámque Tonanti?
Spiritus an corpus veſtit, quóſque induit artus,
Aëre denſato finxit, fallitque videntes?
Scilicet his aliquid maius. Simeona Columnæ
Impoſitum ſpecto, viuentem, auráque fruentem
Æthereâ, & fragili naturam in corpore victam.
Bis decies duodena vagus decurrit Apollo
Signa poli; magnúſque orbis qui ſidera portat,
Emenſus ſtadium, millenos curſibus ortus
Occaſúſque ferens, Simeonem ſpectat eundem.
Mutantur tempeſtates, elementáque ſortes
Paſſa ſuas, vario ſignant noua tempora vultu;
Singula mutantur; Simeon immotus & idem,
Stat fixus, carnem edurans; vincitque Columnam
Firmior, & teneros artus in marmora format.
Sæuit hyems glaciata comas, circúmque niuoſos
Accumulans nimbos, nudum caput horrida pulſat.
Frigora vir ſuperat; penitus caluere medullæ
Igne Sacro; ſæuas hyemes inflammat amando.
Æſtibus immodicis feruens incanduit æther,

Ab

Absumptæ languent herbæ, succúsque comatis
Deficit arboribus; flammæ Pidmonibus haustæ
Ardescunt; patulæque nihil iam frigoris vmbræ est.
Perdomat hos ignes Simeon, maioribus ardet.
Imbribus exundat cœlum, pluuiisque solutæ
Funduntur nubes, stagnant diluuia campis:
Quin & fulmineo crepitans de turbine grando,
Grando furens, dicas neruo stridente sagittas,
Ora viri ferit atque oculos; ferit illa ferentem,
Incassum, cœli vincit caput arduus iras.
Ipse Satan orco erumpens, rabiéque feroci
Percitus, immittit Ventos, virésque ministrat.
Africus Europâ vasto molimine frendens
Irruit, & turres immenso flamine sternit.
Instat Hyperboreis Aquilo dimissus ab oris,
Conglaciante aura circùm; Thracéque relicta,
Feruentem in Syriam Rhodopeia frigora portat.
Mox volat Æthiopum calida de gente, procellas
Flans Auster, nubésque vehens; via sternitur ampla
Arboribus, fundamentis palatia nutant;
Intremuit valido impulsu concussa columna,
Suppositúsque sibi timuit mons. Fortior adstat
Motum inter Simeon, & saxum corpore fulcit.
Non aliter rupi infossis radicibus hæret
Caucasus, atque altæ penetrat sub viscera terræ;
Circùm Iuno fremit, tempestatésque sonoras
Concitat, immoto fixus stat pondere vertex.
Hinc subit in nubem Satanas, & fulmine fœtam
Torquet agens, si quem admittat mens sancta timorem.
Insonat horrendum tonitru, vaga fulgetra nubem
Proscindunt; mortem fax eruptura minatur.
Intrepidus fremitu in medio, dirisque tenebris,
Dæmonis irridet bullas, & fulmina temnit.
Spiritus indignans, iaculatur nubibus ignem
Innocuum, rabiémque furens in Tartara condit.
Interea solem duodeno limine ducit
Angelus, & certo distinguit tempora motu;
Miratúsque virum, mentem putat esse beatam,
Déque cohorte sua. Sed postquam respicit vlcus

Putre

Putre pedis, genitos vermes, saniémque fluentem;
Mortalem haud quaquam dubitans, vocat agmina cœlo
Aligerûm, monstrátque hominem, & miracula prodit.
Is flectit pronos artus, & Numen adorat
Corpore, dum celsis animus versatur in astris.
Perge Heros, Christi in terris sublime trophæum,
Quod nec Roma ferox ponat, nec Græcia mendax.
Ista nec in Rhodio placeat sibi vana Colosso,
Nec Traianum illa ostentet, grandémque Columnam.
Tu Sanctam longa implebis per sæcula famam;
Pingésque exemplum, sed non imitabile; tantus
Languor inest nobis, magnísque ignauia gestis.

Noua stella Magis ad Christum prælucet.

IDYLLIVM VI.

Postquam diuinus prodit de Virgine partus,
Et stabulo Deus illucet, sub nocte corusca;
Extemplò aligeræ festinauere cohortes
Infantem colere, & Regem Numénque fateri.
Illi hymnos laudésque canunt, gratésque rependunt
Æternæ Triadi; resonant laquearia cœli,
Et laudes hymnósque Dei responsat Olympus.
Istis dux Gabriel; pernicibus euolat alis
Sancta cohors; inopi non aspectabilis antro
Sistetur, & speciem supplex Infantis adorat.
Pars adstat, Puerum & matrem mirata Puellam;
Pars ad Pastores properat, vigilésque canendo
Euocat, & faustæ portat pia nuntia pacis.
Sed Michaël, monstrante Deo, mysteria callens
Abdita, & obscuris retegens velamina rebus,
Grande opus aggreditur. Cœlum quod sidera voluit
Fixa locis, rapidóque trahit lucentia cursu,
Insidet, ostentum & terris mirabile condit.
Materiam cœlo ereptam, quà purior orbis,
Compingit, densátque; simul conformat acutos

In

In radios, luménque addit, flammámque nitentem;
Illa polo fulget; vibrat aurum, operáque recente
Artificis, socios splendore illuminat ignes.
 Est Arabum regio, felicibus inclita ramis;
Balsama ab arbustis stillant, succóque feraci
Gutta liquet; fisso erumpit de cortice gummi,
Thuráque odoratos atis halantia fumos.
Hanc plures coluere Magi: tres gloria sceptri
Commendat, cingûntque sacras diademata frontes;
Quin doctas studiis hausêre capacibus artes,
Naturæ, morum, & linguæ, sceptríque regendi,
Astrorúmque vias: placet intercurrere cœlo,
Sidera conspicere, & cursus, varióşque recessus
Metiri, atque animis ingentia corpora ferre.
 Vt sidus videre nouum, lucémque micantem
Effulgere polo; mirati, inquirere pergunt,
Vnde ortum, quid portendat, quis conditor Astri.
Incumbant frustra; Michaël ni mentibus altè
Illapsus, referet Sacræ mysteria lucis.
Ergo aperit Regem natum, vatisque Balami;
Impletas voces; in Iudæ exurgere regnum,
Qui terras sceptro,& nutu moderetur Olympum.
Regi, Homini, simul atque Deo, sua dona ferenda,
Illi iter instituunt prompti, Solimæáque versus
Mœnia contendunt. Dux illis stella, Ducémque
Aliger occulto voluens per sidera lapsu.
Sic ipse illustri deserta per auia quondam
Nube tegens lucem, Mosem populúmque regebat,
Signabátque locum castris, lentósque mouebat.
Progreditur sidus; Regum pia turma camelis
Vecta simul sequitur, properátque inuisere Regem.
 Ite animis læti. Quantæ vestigia gentes
Vestra terent! Sanctos cultus imitabitur Orbis.
Phoëbi vltra lunæque vias protendet Iesus
Imperium, terrarum amplo nec limite claudet,
Tu septemgeminis dominata è collibus vrbes
Europæ atque Asiæ, titulis iactata superbis,
Roma caput mundi, Terræque ornata triumphis,
Impositum patiere iugum; victricia Christi

Signa feres, cedêntque nouo Capitolia regno.
Hinc veniet populis Pietas; Indiſque remotis
Relligio veniet; nec montibus interſepta,
Nec clauſtra Oceani; donec toti agnita mundo,
Portet adorandum pendens ex arbore Numen.
Donandos ſpectat Michaël, gentéſque profanas
Quas regat, & Sancto cultu conformet Olympo.

EGLO

EGLOGÆ HORTENSES.

Pax seu Castellum.

EGLOGA I.

Olitores; Castello restituto, in Picardiæ finibus, & Pace promulgata; Hortos instaurant, vastitate belli absumptos.

Interlocutores, Simoneus & Paulinus.

PAVLINVS.

AH Pater! infensam propiúsne accedis ad arcém;
Fulmina nec metuis? Nec fulmine sæuior hostis
Ire vetat? nempe oblitus, quæ vincula passi
Nuper, seruitij ærumnas, duróśque labores.

Simoneus.

Fili, nec timor est animo, nec causa timoris;
Francus in arce sedet, metuendus cessit Iberus.

Paulinus.

Sed rursus si vincat Iber, francúmque repellat.

Simoneus.

Exulat hinc bellum; gentes Pax colligat ambas.

Paulinus.

Quid pacem memoras? bellum iam pluribus annis
Fortamus; necdum est oculis pax cognita nostris.

Simoneus.

At cœlo pax alma redit, nostra arua remisit.
Gaudia, libertas tranquilla, & copia rerum
Aduenient cum pace simul. Quod frugibus humor,
Æstus melioribus, sol vuis, floribus aura,
Quódque fatigatis est spissâ carpinus vmbrâ,
Hoc Pax agricolis. Tutò colere arua licebit,
Et serere, & longas super vlmos tollere vites;
Implantare pyris Lydonia mala, rosetis
Gelsominum inserere, & fontes inducere sulcis.
Quin metere, & villas implere liceb t aristis,
Et resecare vuas, & grandi imponere prælo.
Nos etiam fructus securi in tecta feremus;
Alliáque, & porros, caulésque; & olentia serta,
Serpillum, & casiam, largo mutabimus ære;
In laribus longas hyemes ducemus ad ignem.

Paulinus.

O Pax alma veni : Pax, hæc si commoda præstas,
Et bellum nostris procul amoliris ab oris;
Et liceat serere, & metere, & duram Catarinam
Floribus emollire nouis; tunc nil ego poscam
Amplius; inuideam tutas nec ciuibus vrbes.

Simoneus.

Dum vacat interea, veterem reparabimus hortum,
Delicias Domini, & Picardi ruris honorem.
Frugiferas locus hic plantas herbásque ferebat,
Et florum areolas, buxum sepésque virentes:
Ah facies quàm fœda loco; quàm sentibus horrent
Omnia, quàm duri texerunt omnia vepres!
Hîc fons, peruadens sulcos illimibus vndis;
Hîc nemus vmbrosum, coryli, reuolutáque frondes
Carpinus, & longas hyemes vincens alaternus.
Pauperis hîc tugurî charum mapale sedebat,
Nunc saxa & vepres. Hîc te, cum fratre Corymbo,
Enixa est coniux, & præbuit vbera coniux.

R PAS

Paulinus.

Quid pater ingrato fletu noua gaudia fœdas?

Simoneus.

Nam quis contineat media vel pace dolorem,
Iacturæ memor? heu! mecum tolerare labores,
Solari, & tristes animo depellere curas,
Anna potens, Anna extincta est, charissima coniux.
Tectum, hortos, spem culturæ, pessundare cuncta,
Dicebam, ô superi; satis est, si parcitis Annæ;
Annam sed superi rapuistis, longa doloris
Tædia, nulla dies, solatia nulla leuabunt.

Paulinus.

Quid sensum irritas? bellum, hostes, atquè procellæ
Diffluxere; nouis redeunt iam gaudia fatis,
Quid cladem memori frustra sub pectore voluis?

Simoneus.

Vnum est solamen meminisse, & dicere cladem,
Anna recens partu, Germanum enixa iacebat;
Tu Parisiacos procul amandatus in agros,
Commissus Lydiæ parruo, securus agebas:
Artesius ruit ecce furens, finésque propinquos
Insultans, stragem agricolis fugientibus infert.
Quid facerem? matrem, vt potui, tenerúmque puellum
Raprabam, & mediis abdebam corpora siluis.
Aspera iam frigebat hyems, frondosáque quercus
Pro recto & latebris ramos præbebat opacos;
Algentem foui matrem; fouet illa rigentem
Infantem gremio. Sub prima crepuscula lucis,
Progredior, tectum miseris si fortè pateret;
Siluam fusus eques telis infensus habebat;
Bona fugio, & capio compendia tuta viarum,
Condirur atra dies, cœlo nox horrida surgit.

Quàm

Quàm longis mihi nox misero producitur horis!
Quos gemitus fletúsque dedi! quàm proxima votum
Lux fuit! heu tristi lux infensissima clade!
Currebam ad notam quercum per deuia tesqua,
Dux amor est. Annam video, puerúmque iacentem
Affixum vberibus, duræ succumbere morti.
Ipsa parens, postquam ad vocem conuersa vocantis,
In me amplexantem morientia lumina fixit,
Eluctantem animam glaciato è corpore mittit.
Obrigui, frigúsque nouum penetrauit in ossa:
Felix, si simili potuissem occumbere letho;
Sors infesta vetat. Restabat cura sepulchri;
Quo foderem ferrum deerat: miserabile corpus
Frondibus obtexi, puerum nec ab vbere vulsi;
Sicut erat foliis tegitur; funúsque paratur,
Heu nimis incertum, & primis violabile ventis.

Paulinus.

Ah pater! in mentem serpit dolor.

Simoneus.

Hæc mala bellum
Congeminabat atrox, strages & funera miscens.
Fata tibi meliora Deus. Nam pace frueris,
Et cum pignoribus vitam inter gaudia duces.
Sed iam sol oriens primo resplendet Olympo,
Cessamúsque solum duris inuertere palis;
Succide has spinas; dum saxis arua repurgo.

Paulinus.

Sat mihi pax felix, si me Catarina maritum
Annuat, & longum non dedignetur amorem.

LIDVINVS,

EGLOGA II.

Desiderium Christianissimi Regis Ludouici decimi quarti, ob dilatum cum MARIA THERESIA, *in plures menses coniugium.*

NAM Sol signifero cursum repetebat in orbe,
Auratúsque ouium ductor, se lumine primo
Pingebat, terrásque afflabat mollior aura.
Liliger hortorum cultor Liduinus, amœnum
Collem inspectabat; si se rosa murice verno
Proderet, aut ramos vestiret frondibus arbos.
Vrget amor. Teneras profert dein voce querelas.
Cur mea vota necas? quid terra ingrata moraris
Veris opes? florésque meus mihi denegat hortus?
Præmia culturæ sunt hæc? rastrum atque ligonem
Sic tractasse iuuat? Sic attondere comantem
Luxuriem, & siccis inducere frugibus vndas?
Vt lento desiderio fallatis amantem;
Et quam dilexi procul his teneatis ab oris?
Nescitis flores? mihi nam THERESIA pacta est,
Pacta est vere nouo, cùm se tenet innouat annus.
Quid steriles trunci, quid rami hæretis inertes?
Crescite, nec fructum expecto, nec poma reposco;
Sat mihi si gemmæ turgent, si floribus iris
In folia, & primos teneatis frondibus Euros.
Quid nectis Rosa tarda moras? Quid claudit auarus
Lilia blanda calix? vos lilia, sedula cura,
Deliciæ Domini, Dominum sic proditis? vltro
Vos decuit zephiris frondes aperire vocatis;
Heu! quia nam Domino castum inuidistis amorem?
Respicite ignaui flores; iam purpura tinxit

Nascen

Naſcentes violas; nitido candore relucent
Narciſſi; nec hyems Aquilonibus horrida ſæuis,
Narciſſum, aut violam terræ ſub carcere clauſit.
En Titan calido tardantes prouocat æſtu,
Et terram vocat in partus. Heu, ſentio ſolis
Sub venis radios; quid enim ſic pectora feruent!
   Theresa expectas zephyros, vernúmque teporem,
Heu mihi dura nimis! facies vernum ipſa teporem,
Si venias; blandis zephyrus circumolat alis,
Téque Comes ſequitur; Roſa, ſi veſtigia ponis,
Naſcetur, greſſúſque tui mea lilia pangent.
Sed nimium tardas. Quid amanti cauſa morarum eſt?
Si tamen Anna parens me non decepit amantem,
Et retulit verum: tibi cùm Theresia pectus
Dixit molliri, & naſcente tepeſcere flamma.
Sanè Franciades in me caluêre puellæ,
Et faciles vertêre oculos; tu ſola ferocem
Et mutaſti animum, & ſinceris ignibus vris.
   Téne lares patrij retinent, & ruris Iberi
Diuitiæ, & nimiis plantæ ſub ſolibus vſtæ?
Paſcua ſint opulenta patri, ſint pluribus hortis
Arbuſta, & nitidis de fontibus arua rigentur;
Non pugno. Quanquam & noſtris ſint paſcua campis,
Multiplexque ſolum noſtris colluceat hortis,
Fontibus irrigui madeántque perennibus agri;
Vnus amor mihi cenſus erit; te pectore flagrans
Expugnabit amor; quid enim non cedit amori?
   Ipſe ego ſpernebam flammas, & tela retundens
Ignea, delicias inter ſecurus agebam,
Diſplicet ha! florum, quondam mea grata voluptas,
Cultura, & poſitæ ramorum in tegmina curæ.
Noctes atque dies vror miſer; ardet in horas,
Ha! penitus conceptus amor; vitámque reſoluet,
Ni venias, vnum magni ſolamen amoris.
   En dudum à patriis procul ipſe penatibus erro,
Et villis hortíſque procul, cum matre gemente
Aduena, me rurſum peregrina ad limina ſiſto,
Maturas nondum Autumnus collegerat vuas,
Cùm tua tendebam propero ad connubia curſu.

Iam deſæuit hyems, iam ſignis quinque receptus
Sol reuehit vernum tempus, terræque iuuentam;
En iterum opperior. Quid enim mea gaudia differs?
Quídve dies miſero longos producis in annos?
O ſuperi, pacem in terras miſiſtis Olympo,
Compoſitis odiis gentes noua fœdera nectunt;
Quid mihi cum bello? quid pax optata negatur?
Dona tibi ſeruo, quæ ſæpe Anthuſa popoſcit,
Formoſa in paucis Anthuſa, tulítque repulſam.
Aurea poma duo; circùm radiante metallo,
Innumeri excurrunt noſtris de finibus amnes;
Inſculptæ circùm gentes, atque oppida plura.
Præterea vaſa inſpicias ſplendente corallo,
Quæ fundant opulentum imbrem, roréſque beatos;
Hinc oleo fontes manant, & copia lactis.
Hæc tua ſint; quanquam his etiam maiora reſeruo.
Sic Liduinus amans. Tellus ad vota repente
Obſequitur, floréns que nouos oſtentat amictus.
Per calices ruptos Tyrio Roſa murice fulget,
In Tulipis lucet variatâ coloribus Iris,
Et præmaturo panduntur lilia flore.
Nimirum facilis Liduini in commoda, partus
Natura anteuenit, gaſámque effundit opimam.

ARANIVESIVM,

EGLOGA III.

Araniueſium, villa eſt ſpecioſiſſima Regis Hiſpaniæ ad Madritum, in ea Virgines ruſticæ Infanti MARIÆ THERESIÆ, *venienti in Franciam, vale dicunt.*

Marina, Vrſula.

Marina.

QVID lacrymis ſic aſſiduis tibi lumina manant?
Chara ſoror? quídve hoc gemitu ſic pectora rūpis?

Vrſula.

Ha miſera! ignoras, THERESIA deſerit agros,
Quæ fortunatos THERESIA fecerat agros,
Atque vltra montes procul his abducitur oris.

Marina.

Deploranda dies nobis, luctúque notanda
Perpetuo, noſtris dominam quæ tollet ab oris.
Scilicet infauſtam ſortem præſagia nuper
Monſtrabant; tenero cùm Roſmaris arida trunco,
Solem inter gratóſque imbrés ſpem ſicca feſellit:
Cùm morte abreptus, dulcis mea cura columbus,
In gremio iacuit ludentis, & Oſcula dantis.
Manate ô lacrymæ, gemitus aperite dolorem.

Vrsula.

Et laurus, memini, multâ quam sedula lymphâ,
Dum sol occideret, dum ferret lumina cœlo,
Vsque adeò foui, radice exaruit ima;
Et latuit, ramis quid pestem afflaret amatis.

Marina.

Heu mihi! cui crescant flores, cui proferat hortus
Delicias! si te absentem THERESIA flemus.

Vrsula.

Quis ramos fructu exornet? quis nutriat herbas?
Si sol abfuerit: nam sol THERESIA nobis.

Marina.

Puluinos quid enim selectis floribus, heu me!
Conseui, texíque illos & frigore & æstu?
Murice quid tincti vario fulgent Anemones,
Quid Tulipe variata comas noua sidera fingit,
Ambiguis ludit foliis quid discolor Iris,
Quid Rosa odoratas diffundit in æthera frondes,
Quidve nitent Violæ, quid suaue rubent Hyacinthi?
Si cui pangebam flores, THERESIA non est?

Vrsula.

Anxia tondebam sepes, arbusta serebam.
Et pater erudiit ramos infindere falce,
Frugiferos trunco agresti committere ramos,
Et legere vnigenos geminata ex arbore fructus.
Quid Nana arbusta excolui, truncósque coëgi
Esse humiles, nec se sustollere fronte superba?
Arboribus sic pulchra meis THERESIA maior,
Gustabat fructus, quos ipsa è fronde legebat.
At nunc marcescent; quoniam THERESIA non est
Quæ legat, & dextra iungat tractante decorem.

Mari

Marina.

Me frustra docuit florum miscere colores
Virginia & flores serum connectere filo.
Quin etiam ipsa domum Madrito cùm remeabat,
Filum multicolor bombycum è vellere, dono
Et dabat, & varias sertorum in vincula vittas.
Et mecum ad riuos, tenui modulante susurro,
Narcissis violas, Tulipas Anemonibus, albis
Lilia rubra Rosis miscebat, & Irida caltis;
Artificique manu texebat docta corollas.
Nunc mihi nil prodest didicisse, & vellera plura
Seruasse in capsa? non est cui munera donem.

Vrsula.

Et mater docuit calathos innectere iunco.
Sternebat foliis calathos, & vellere iuncum
Multiplice ornabat, vittásque addebat in oram,
Quas dederat genitor, connubia chara reposcens,
Carpebam fructus, cerasos, atque aurea mala,
Citrea, granata, & ficus & cerea pruna;
Implebam calathos. Mi nunc sint omnia flocci,
Et calathi, & fructus. Nam cui munuscula donem?

Marina.

Dum florum areolas laudans THERESIA lustrat,
Gratum animum testata oculis, risúque modesto,
Sermones etiam miscebat, magna laboris
Præmia; tum flores digitis carpebat eburnis.
Et vidi niueâ pallorem infundere dextrâ
Narcissis, & tractari puduisse ligustra.
Quin ipsi flores vltrò in sua facta ruebant,
Captabántque manum: felicius inde nitebant,
Et lectum in florem surgebant caudice plures.
Tunc ego nec solem optabam, nec commoda roris;
Solem ipsa aspectu, & rorem præstabat, & imbres.

Vrſula.

Dum legeret fructus, dabat & mihi grata ſalutem,
Laudabátque artem; tondentem ſæpe videbat
Falce comas ramis, inſtaurantémque figuras.
Ipſa etiam, tantùm in genio præcelluit, artes
Dota meas, falcem ludens dextrámque regebat.
Ah quoties rami ſe demiſere legenti,
Et poma arboribus teneris matura dederunt!
Cùm ceraſos cuperet, memini, necdum vlla juberet,
Lugebam, frondes lentas frigúſque querebar;
Vix ceraſo dextram admouit, cùm tota repente
Erubuit, penitúſque fibris maturuit imis.
Sed quid nunc operi incumbam? quid vana labore
Membra teram? grati fructus periere laboris;
Non eſt cui placeam, fundat ſe frondibus arbor
Luxurians, intonſa comas; eruca opulentam
Spem voret, & bruchus ramos arrodat inertes;
Gratum eſt, è noſtris abiit THERESIA terris.

Marina.

Vos flores ite in fœnum; frondéſque caducæ
Imbribus, obſcuro nitidæ ſe puluere fœdent.
Nec terram effodiam, nec ſuccreſcentibus herbis
Purgabo, nec deducam de fontibus vndam.
Florentes, per me fas eſt ſterileſcite caules:
Sic decet. E noſtris abiit THERESIA terris.

ARI

ARISTVS.

EGLOGA IV.

CLAVDIO BASSET,
CIVI LVGDVNENSI,

Amicissimo viro, Salutem:

VIR AMICISSIME, è multis & præclaris dotibus tuis, Amicitiam selegi, experimento doctus, quanta hæc in te sit. Nam continuo vicenorum annorum spatio, omnibus officiis probatam cumulatissimè, inter præsentes nos & absentes cultam impensissimè, ipsa consuetudine & frequenti vsu incalescentem; quis tam honesto Amicitiæ nomine non appellet? sanè, vt alia, & grauissimi momenti, sileam; quòd ab annis plusculis, studiis meis, Arbiter, Censor, & quodammodo Auctor, præfueris; quod me cessantem ad scribendum impuleris, quòd exegeris scripta, quòd emendaueris, & ad normam limatissimi ingenij tui probaueris, vt doctrinæ est exaggeratæ, sic amoris solliciti, & de Amici laudibus satagentis. Quamobrem, vt cætera beneficia, quæ Priuata nuncupo, complector animo nusquam non memori, ita istud Publicum palam

notam

notum opto & perspectum; vt si quam laudem in scribendo hactenus consecutus sim, te in eius admittam consortium; idque vulgo omnibus contestatum velim. Hac igitur Egloga delibaui grati animi monumentum leue, in posterum, are perennius, opitulante Deo, positurus. Nunc perge amare; quodque in hac mundi, seu postrema atate, seu extrema face, rarissimum; metire Amicitiam, non vtilitate, sed ipsa amicitia, virtute sanctissima & honestissima. Vale.

CVLTVRA.

EGLOGÆ PARS I.

NVnc mihi selectum carmen concede Thalia;
Quo par egregium fidissima pectora, dicam;
Rarum opus in terris. Nã quis non vtile præfert
Hac ætate bono? Sancti quis pignus amoris
Diligat, officiis certatim aut vincere pugnet?
Quà Rhodanus præceps celeri deuoluitur vndâ,
Exceptumque Ararim tumido fert amne Viennam;
Figebat sedes hortorum cultor *Aristus*,
Culturæque locum selegerat: hic vbi pleno
Vbere terra fluens fructúsque herbásque ferebat:
Munera Iusta quidem, quis enim vel amantior æqui,
Vel quis amicitiam coluit magis? aut quis *Aristo*
Doctior, artifici truncos infindere cultro?
Hunc, animo dudum *Alcæus* coniunctus amico,
Aduena quà Ligeris submittit nauibus vndas,
Inuisebat amans; hortorumque ipse peritus,
Multas ad Ligerim conseuerat ordine plantas.
Se se conspectu postquam impleuêre cupito,
Mutuáque amplexu se pectora diffudêre;
Deliciúmque patris spectatus *Aristulus* Infans,
Quem *Galatæa* viro peperit, spectabilis inter
Vna nurus formæ specie morúmque decore.
Alloquiis tandem soluunt gratantibus ora
Felicem in paucis lucem dicebat *Aristus*,
Quæ sibi dilectum reddat lux alma Parentem;
(Nam Pater officiis curísque *Alcæus Aristo*)
Tum quæ dona Deus paucis cumulauerat annis,
Narrabat, fixas sedes, stabilésque Penates,
Atque metu vacuam mentem, votísque superbis,
Et clausam desideriis; modulóque beatam,
Quem numen, sidusque fauens, fecêre modestis.

Dein

Dein hortos nuper positos, villamque recentem,
Monstrabat, prata,& vites, segetesque nitentes,
Admotúmque nemus villæ, frondentia tecta.
Hîc, ait, areolas; istic spatia ampla viarum
Describam; pumilas stirpes hic falce supina
Inseram, & abscidam ferro capita alta pyrorum:
Sub dextra crescent cerasi, mala Armena crescent,
Pomaque; fœcundæ submittent brachia pruni.
Hîc inter densas corylos, vmbrásque virentes,
Quà solem solisque æstus defendit opaca
Carpinus, & varias frondes subtexit olympo;
Hîc curis procul vrbanis, Galatæa vacantem
Sola tenet, blando recreans sermone laborem.
Hic Infans equitat securus arundine longa,
Et matrem supra puerum sermonibus implet.
Dum tenero vocem cantu modulatur Aëdon;
Adjungit *Galatæa* sonos, Philomela canenti
Concinit, & longo diuerberat æthera tractu:
Cui voces Echo reddat, dudùm ambigit anceps.
Sed te qui casus, quæ te fortuna reducit,
Dissere, & optatis quid tandem amplexibus offert.
Alcæus trunco innixus sic ora resoluit.
Postquam Araris ripas, & olentia gramina liqui,
Sic voluit Deus, & fixi nouus incola sedes
Trans Ligerim; dignus studio non defuit hortus.
Area lata patet, buxo distincta virenti,
Prætendítque vias: spatium prospectus in amplum
Funditur, & longè muro se colligit albo;
Tum flexus circùm, dextrâ læuaque vagatur,
Areolas inter virides, & florea serta.
Fertilis hic tellus, porros, & grandia cepe,
Asparagos faciles, caules, & cardua poma
Educat; & longo viuax opulentia censu,
Gnauum multiplici cultorem fœnore ditat.
Hæc famulis. Ego sollicitus contendo colendis
Floribus, & riuos duco, terrámque repurgo.
Qui etiam arboribus pangendis cura laborat,
Inserere, & teneram in fructum deducere gemmam.
Oblongâ serie medium disterminat hortum

Car

Carpinus,& recto consurgit in æthera versu:
Hinc atque hinc rami incumbunt, spissantque phalangem
Certatim foliis, phœbæáque spicula pellunt.
Sedulus hîc operam impendo; deducere frondes
Altiùs, & ramos densare,& ponere nidis
Hospitia,& querulas dispellere tegmine picas.
Incolit has damni immunis luscinia frondes,
Cantat amans, figit tenerum paritura cubile,
Ad prædam educit pullos, pipientibus æther
Perstrepit,& vario rami tremuere volatu.
Interea validis incido nomina truncis,
Scenderem, & pingo victa de gente trophæum;
Thoraces, scuta, & galeas, fractásque sarissas,
Incuruos enses, clauas, lunasque bicornes;
Crux super effulget, diuino murice picta.
Nec te prætereo, præclarum exemplar, *Ariste*.
Virtutum; *Irenes* non immemor, ipse perenni
Quam formas studio, dignámque in sæcula mittis.
Ipsum te frondes,ipsum te arbusta loquentur,
Docta nouos philomela modos te concinet ipsum.
O quem te canerem! si vox in carmina dulcis
Sufficeret, gratúmque daret modulamine cantum.
Quod super, inscribo truncis,& cortice fingo.
Ah veniant vtinam, postrema in tempora trunci;
Nec duro quidquam ætates de cortice demant.
Nunc Ligeri abductus, Rhodanus quâ concitus vndis
Lustrat Athenæum, cultor nouus insero ramos,
Et reuoco veteres antiqua è stirpe stolones,
Quos nascens mundus primæua ab origine vidit.
Inde graues curæ incumbunt longique labores
Vergenti in senium; pingunt iam tempora cani,
Vitra iuuant oculos, rarus sopor irrigat artus.
Forsitan & primo conantem grandia cursu
Mors rapiet; facilísque metet, condétque sepulchro:
Non improuisa. Ah, trunci stirpésque valete,
Mors vbi grata diem eripiet, vitámque parabit
Æternam, totúmque Deo coniunget in æuum.
Tunc meus in lachrymas oculos nec soluat *Aristus*,
Nec gemitus imo longos de pectore ducat;

Gra

Gratetur superis, capiant pia gaudia mentem,
Floribus inspergat tumulum d.t lilia plenis
Et violas manibus : ciuis quia natus Olympo :
Hæc senior. Verbis pendet dicentis Aristus;
Tantus amor, sanctæque faces, sub pectore flagrant.

INCVRIA.

EGLOGÆ PARS II.

INTEREA cæli tractus lustrabat Apollo,
Signáque decurrens Australia, cornua Tauri
Lumine pingebat; violæ Tulipæque nitebant;
Ad Rhodani ripas Alcæum inuisit Aristus,
Inuisítque hortos. Dulcis quæ pinguibus herbę,
Florum quis sit h nos; quanta illi arbuscula surgat.
Neglectum passim studium, truncósque relictos
Miratur, Lappísque nouis siluescere terram,
Mox gemitu & verbis infensa silentia rumpens.
Quid factum Alcæo? quæ te mutatio cepit?
Vnde sues herbis? quis floribus inuidet? Vnde
Nata filix, tribulisque super nascentibus horror?
Respuit an curas tellus ingrata colentes?
An negat aridior riuos? an Luna maligno
Lumine, succum haurit truncorum, animámque resoluit?
An te morbus habet? nec enim puto tædia florum
Herbarúmve, agitant mentem, & fastidia gignunt.
Ante petet Rhodanus fontes, ibique Geneuam,
Aut Araris præceps ad sequana refluet arua.
Quin Alcæus amet flores, & non colat hortos.
Quærenti Alcæus placido sic ore reponit.
Nempe nouus succedit amor, vitæque prioris
Immutat studia; & Deus est pro floribus vnus,
Nam Deus insedit mentem, pectúsque calore

Cœlesti, tepefecit amans; fastidia rerum
Inde humanarum, florúmque incuria nata est.
Ah, quàm sordet humus, cui cœlum in pectore sedit!
Quàm benè mutantur fragiles pro numine flores!
Cùm varias lustro Tulipas, pictósque Anemones
Murice, & in niueâ fulgentia lilia veste;
Illi, inquam, citò marcescent, nitidísque putrescent
Exuti spoliis; vna est pulcherrima forma,
Numinis, æterno nusquam mutabilis æuo.
Cùm ramus trunco inseritur, succúmque propago
Mista haurit; Deus in nostris sic mentibus hæret,
Indulgere nouos mores, vitámque paratus.
Mox cùm prata aquulis riui salientis aluntur,
Nascentésque solo fluidus liquor erigit herbas,
Gratia sic diuina fluit, sic pectora mollit,
Innutritque fugam vitii, & virtutis amorem.
Si quando in densam spatiatus carpinus vmbram,
Et Solis frangit radios, æstúmque retundit;
Pectore sic casto pereat malesana libido,
Nec calor incendat, nullúsque exæstuet ardor,
Cùm ramos fructus onerant, dextráque leguntur
Maturi, ambrosiis afflatur odoribus æther,
Purpurea vernice nitent pomaria circum.
O mihi si fructus ferret cælo indita virtus;
Si fœcunda Deo, tandem cœlestia poma
Siluescens natura daret! quid sentibus horres
O Anime? erucam quid alis, bruchúmque voracem?
Frondibus hinc atque hinc densis obnubilat arbos
Porrectum spatium in longum; quà plurimus hospes
Ambulat, & lætas traducit commodus horas.
Carpinus ad læuam solem defendit ab ortu;
Ducitur ad dextram murus, cui grandibus vlmis
Spissa phalanx latè incumbit; super æthera moles
Frondea consurgit; longè transmittitur vmbra;
Occasúmque tegit Phœbi, ponítque calorem.
Hinc auibus nidi pendent; circùm vndique ramus
Perstrepit, & variis resonant concentibus auræ.
Spectanti cœlum effulget, luménque coruscat.
Tunc ego nec cantu capior, nec frondibus altis,

Frigore nec grato, Zephirísve mouentibus vmbras.
In celsum mens atque oculi rapiuntur Olympum,
Hæréntque affixi; terram vestigia signant,
Mens euecta polo spatiis ingentibus errat.
Vicinus Masylas industrius excolit hortum?
Multiplices crescunt herbæ,curásque coronant.
Specto,nec inuideo; caules, & olentia cæpe,
Intyba,lactucæ, spinis nascentibus asper
Carduus, & crescens apium, porríque virentes.
Hinc lucrum,& Masylas multo locupletior ære.
Quæ cultura placet diuersa est : amplior hortus
Est Animus; cultu vitia euellenda, serendæ
Virtutes, riguo ducenda est Gratia riuo.
Heu mihi! quàm densis sterilescit sentibus hortus!
Spinæ rastra vetant, durissima saxa ligonem.
Quid tibi cum virtute miser? num Gratia vepres
Alluet? in lapides cœli num depluet imber?
Est specula excelsis sublimis in ædibus, vrbem
Subiicit hæc oculis, camporúmque æquora lustrat,
Funditur aspectus circùm, vitreæque fenestræ
Lucem amplam admittunt,& in æthera lumina portant,
Ad Boream spissis tectorum examina surgunt
Turribus, & primas contingunt culmina nubes;
Voluitur in cœlum vario spiramine fumus.
Respicio. Ah quantùm fumi in mortalibus! inquam,
Exanimis saxorum ordo contendit ad Astra,
Terræ hærent animi. Quàm rari scilicet vrbe
In tantâ sese excutiunt! æterna caducis
Postponunt miseri, totique in corpora mersi,
Ignem Tartareum,& cœlestia præmia temnunt.
Dein versus, quà sol medio resplendet ab axe;
Inspecto Rhodani fluctus, frenatáque aquarum
Agmina lento Arari; facit vndæ copia tardum.
Miscentur; præceps Arar est; Rhodanúsque moratur,
Donec se totus collegerit impetus vndæ,
Séque Arar ímque vehens; subitis decurritur iris
Alueus; heu tristes agris & pontibus iræ!
Sic diuina Themis mortalia crimina lentè
Vindicat, vltrices pœnas Clementia sistit.

Sed

Sed postquam reuocant repetita nefaria pœnas,
Væ tibi peccanti; Themidi Clementia cedet.
Hinc refero aspectus primos ad Apollinis ortus;
Planities effusa patet, serísque coacta
Montibus, Alpinâ caligine lumina figit.
Vndique conspicuo curuatur fornice cœlum,
Aspectúmque rapit; mens vltra sidera scandit,
Demisséque audax diuina palatia lustrat.
O domus æterna! ô summi tecta aurea Regis!
Spirituum ô sedes! Sanctorum ô tota voluptas!
Vos egóne ingrediar! pereat mihi mundus, & omnes
Illecebræ, diuina datur si scandere tecta.
Talia dum reputans attentâ mente reuoluo,
Sol contra occumbit, Forueri vertice montis
Conditur, & pulchrè moriens vaga nubila pingit.
Obuertenti oculos, mortis momenta beatæ
Mentem implent: nempe hâc vnâ patet altus Olympus;
Linquimus hâc sedes miseras, hâc, imus ad Astra.
Et veniet votis optata calentibus hora,
Nam morimur; vitámque breuem momenta recidunt.
Talia narrabat miranti Alcæus Aristo;
Sic squallent horti; sic est incuria felix;
Sic pateat cœlum; terram si spernis inanem.

EPISTOLA

Ad Amatum DE BVSSIERES Fratrem dilectissimum.

CVM ad te scribo, Amantissime frater, non naturæ, sed officio obsequor. Nec illam tanti facerem, quam abdicasse debui religioso vitæ instituto, nisi summa in me amicitia tua, supra fraternam beneuolentiam multùm exurgens; affectus erga mea studia animus; & cum meo sensu admirabilis opinionis tuæ concordia, in te regendo, cæterísque rebus æstimandis, me versum te abripuissent quodammodo, & penitus conuertissent. Nec enim religio beneficia vel accipere vel agnoscere prohibet, Deúsque begnissimus admittit in consortium pietatis testificationem animi grati. Eam in rem de meo penu carmen deprompsi, vt si fortè ad posteros libellus hic veniat, apud eos constet, germanos fuisse, quos amicitia sancta, nullo vtilitatis vinculo, suo vno nexu colligarit. Vale, & diligere vt cepisti, perge.

MONI

MONITA CHRISTIANA.

PArs Animæ, frater, natura & sanguine charus,
Charior ab sancto qui nos deuinxit amore;
Túne indictus eris? téne vnum dicere musa
Immemor, Aonios aliis impenderit haustus?
Et tibi laude sua digna est & carmine virtus,
Sed tacuisse iuuat. Quis enim se laudibus effert?
Et tua si mea sunt, videar mea dona referre:
Sit satius, monitus Christi de fonte petitos
Ingerere, & vitæ ductum signare beatæ.
Principio, *venerare Deum*, sanctúmque timorem
Concipe, & exhorre leuioris imagine noxæ.
Nimirum offendas, nam quæ dementia, Numen?
Et cui limitibus nullis conscripta potestas,
Qui iustè scelerum est vindex, qui criminis vmbram
Oderit, hunc sponte offendas, pœnámque lacessas?
Quippe malum nobis Deus intulit? Omnis origo
Fónsque boni; tibi qui largè bona sufficit ampla,
Et maiora parat. Christum dedit ille salutis
Auctorem; Christum repures, & crimina nectas?
O amor! ô noxæ labes! ô Christe Redemptor!
O sceleris furor! ô miseræ contagia culpæ!
Contentus sis sorte tua. Quem fastus honorum
Vrget, quem stimulis agit ambitiosa cupido,
Virus alit, cæcúmque gerit sub pectore vulnus,
Quod vitam fodiat miseram, pacémque trucidet.
Multiplices ascende gradus; an vertice summo
Primus eris? semper superat, quem vota lacessant.
Exundat fusa Ambitio, pelagique furentis
More mens, haurit terras, & littora sorbet.
Comprime nascentem, teneram radice reuelle;
Pone modum; verè est grandis, qui grandia temnit;
Mens tranquilla sibi, superat fastigia rerum.
Ne diues fueris. Malè cum virtutibus auro

EPISTOLA

Ad Amatum DE BVSSIERES Fratrem dilectissimum.

CVM ad te scribo, Amantissime frater, non naturæ, sed officio obsequor. Nec illam tanti facerem, quam abdicasse debui religioso vitæ instituto, nisi summa in me amicitia tua, supra fraternam beneuolentiam multùm exurgens; affectus erga mea studia animus; & cum meo sensu admirabilis opinionis tuæ concordia, in te regendo, cæterisque rebus æstimandis, me versum te abripuissent quodammodo, & penitus conuertissent. Nec enim religio beneficia vel accipere vel agnoscere prohibet, Deúsque begnissimus admittit in consortium pietatis testificationem animi grati. Eam in rem de meo penu carmen deprompsi, vt si fortè ad posteros libellus hic veniat, apud eos constet, germanos fuisse, quos amicitia sancta, nullo vtilitatis vinculo, suo vno nexu colligarit. Vale, & diligere vt cepisti, perge.

MONI

MONITA CHRISTIANA.

PArs Animæ, frater, natura & sanguine charus,
Charior ab sancto qui nos deuinxit amore;
Túne indictus eris? téne vnum dicere musa
Immemor, Aonios aliis impenderit haustus?
Et tibi laude sua digna est & carmine virtus,
Sed tacuisse iuuat. Quis enim se laudibus effert?
Et tua si mea sunt, videar mea dona referre:
Sit satius, monitus Christi de fonte petitos
Ingerere, & vitæ ductum signare beatæ.
Principio, *venerare Deum*, sanctúmque timorem
Concipe, & exhorre leuioris imagine noxæ.
Nimirum offendas, nam quæ dementia, Numen?
Et cui limitibus nullis conscripta potestas,
Qui iustè scelerum est vindex, qui criminis vmbram
Oderit, hunc sponte offendas, pœnámque lacessas?
Quippe malum nobis Deus intulit? Omnis origo
Fónsque boni; tibi qui largè bona sufficit ampla,
Et maiora parat. Christum dedit ille salutis
Auctorem; Christum repures, & crimina nectas?
O amor! ô noxæ labes! ô Christe Redemptor!
O sceleris furor! ô miseræ contagia culpæ!
Contentus sis sorte tua. Quem fastus honorum
Vrget, quem stimulis agit ambitiosa cupido,
Virus alit, cæcúmque gerit sub pectore vulnus,
Quod vitam fodiat miseram, pacémque trucidet.
Multiplices ascende gradus; an vertice summo
Primus eris? semper superat, quem vota lacessant.
Exundat fusa Ambitio, pelagique furentis
More ruens, haurit terras, & littora sorbet.
Comprime nascentem, teneram radice reuelle;
Pone modum; verè est grandis, qui grandia temnit;
Mens tranquilla sibi, superat fastigia rerum.
Ne diues fueris. Malè cum virtutibus auro

Conuenit; in noxas opulenta potentia torquet.
Felix cui modicas, modico patiente labore,
Numen amans indulsit apes? quem Persica gasa
Obruit, infelix; vel prodigus est, vel auarus,
Aut vomit, aut deglutit opes; scylla, ánne Charybdis?
viscus diuitiæ; quid te malè glutine fœdas?
Turpe auro seruire suo. Sed forsitan Arca
Excludit Mortem,& Crœsus sua funera nescit;
Sors vna est Iri atque Midæ; tu præripe viuus,
Quod rapiet Clotho: gasam excute pectore sano.
Dona Pauperibus. Latitat sub paupere Christus,
Mercedémque parat; ratio tibi certa legendi,
Si dederis, nummi; seges est mendicus opima;
Fœnore multiplici donata pecunia crescit?
Sic aurum æternum est, sic lucida transmeat Astra.
Et meminisse iuuat simili de stirpe creatum
Te simul atque inopem; bona tu cum fratre paterna
Diuidis; ille habeat tibi quod super astra reponat.
Lites ne serito. Themidis subsellia vita,
Si tibi pacis amor,Christi si dogmata curæ.
Nil tanti humanum est, quod te in discrimina mittat
Cæca fori; quod enim lucrum mala tædia litis
Compenset? vel quod lucrum est compescere litem?
Perpetuam tecum litem cole; rixa sit vna;
Nempe Deo mentem,& menti submittere corpus.
Neu lædas famam alterius. Sunt ignea linguæ
Spicula, quæ penetrent artus, animæque medullas.
Verborum limâ quid detrahis inuidus? aurum
Restituas & opes,raptum nil sarcit honorem.
Quid famam obtruncas vitæ qui parcis amici?
Hinc inimicitiæ,rixarum hinc semina firma,
Et scelerum; furor hinc verbis grassantis acerbis,
Omnia carpentis, Momúmque in sacra ferentis.
Virtutis scopulum, remis,velísque solutis,
Effuge; momento volat irreparabile verbum.
Ne placeat Ludus. Tacitum sub mente venenum
Ludus agit, pia virtutum quo semina perdat.
Alea naufragiis quot opes infamibus hausit?
Quas non virtutes minuit lusoria charta?

Quas

Quas non corrupit pretiosi temporis horas?
Noxia tu proles Euæ, damnata labori
Perpetuo, vita ad lacrymas iustúmque dolorem
Cui data, tu ludo labentes transigis annos?
Ah veniet sera illa dies, qua perdita flebis
Momenta, absumptos soles, noctésque minutas!
Heu tunc quàm velles, ærumnas æthere in alto,
Et febrium tolerare æstus, & tempora ludi
Mutare,& fletu pœnas abolere prementes.
Vxorem constanter ama. Quater ille beatus,
Cui Deus indulgens dignam concessit amari.
Tædia quanta parit consorti incommoda coniux!
Quàm famulos vexare potens,tristésque Penates!
Tu tamen hanc molli Officiis, nec tygride sæuâ
Durior, aut fœtâ catulos immitior vrsâ;
Mansuescit Tygris, demitigat Vrsa furorem.
Iurgia sic tu dira neces, sic otia vitæ
Grata pares, faciátque nouos prudentia mores.
Hanc animæ partem iussit Deus esse marito,
Participem sortis fecit, sociámque futuram
Consiliis; forma exemplo, vitáque magistra.
Sis memor, ô frater, consors cui contigit esse,
Quam cuperes; dum casto animi socientur amore,
Æmuláque officiis redamantia pectora certant.
Curam prolis habe. Curâ pater esse memento;
Sollicitudo tuum est munus: pietate recentes
Finge animos, pone æternæ fundamina vitæ.
Esse Deum discant, qualem expetit assecla Christi,
Insinua mentem facilem, mitem, atque modestam.
Hæ tibi opes, id quod cumules hæredibus aurum;
Cætera fortunæ & Regum ludibria sunto.
Disce pati. Seges est miseris mortalibus ætas
Longa ærumnarum: morbi, cita fata, tributa,
Iacturæ, tempestates, odia inuida, lites;
Singula quid memorem? propriam sibi tædia signant
Quæque diem, rara est albo donanda lapillo.
Tu miser es, nisi sancta malum patientia vincit;
Fortunam immutat sapiens, mollítque ferendo.
Omnia mox permitte Deo. Pater ille salutem
S 4 Curæ

Curat amans; ſine te duci, quid inania vota
Diſponis, ſerúmque annos protendis in æuum?
Ni Deus intendat, fruſtra vigilaſſe pigebit;
Ærumnas auges curis, perdíſque labores.
Sis humilis. Cœlo eſt inimica ſuperbia; tantùm
Exurgis ſupra, quantùm demitteris infra.
Natura attollit turgenti pectora faſtu,
Effingítque animo bullas, atque æthere paſcit:
Nitere tu contra, ſenſu contunde ſuperbam
Abiecto; felix, ſi te cognoueris ipſe,
Defectúſque tuos, mentémque ad peſſima pronam.
Deſino; iam ſatis eſt. Vnum quod ſedulus addam
Eſt ſuper; id penitus memori ſub pectore conde.
Nulla dies abeat, tota quin mente reuoluas,
Hanc præter, vitam eſſe áliam; noua fata manere
Mortales, pœnam æternam, æternámve quietem;
Dic hodie, dic cras; quid ago? mihi Tartara pando,
Vel ſuperos; inferna peto, niſi nitor ad Aſtra.

SOLITVDO.

EGLOGA.

Ad eundem Fratrem.

ALCÆVS senior fratrem inuiſebat Amyntham,
Rus vbi monſtrat opes naturæ,& ſimplice cultu
Diues ager, ſtudioſa artis ſpectacula temnit.
Ver adoleſcebat, terram viridantibus vmbris
Arbor opocabat, ridebant humida prata,
Gemmabant vites, agnos hœdóſque petulcos
Spectares, auidos pendere ex vbere matrum.
Sedibus vrget opus, terræque incumbit Amynthas,
Et conſors thalami eſt conſors Amitina laboris;
Virtutum cultrix Amitina,& prolis amatæ
Pulchra parens; creſcunt pulchris corpuſcula natis,
Vt matre exciſus frondeſcit termes oliuæ.
Otia dant fratri Alcæo; vagus ille per agros
Ambulat, & picti decerpit gaudia ruris.
Mox vbi cæruleum Veſper concluſit Olympum,
Hoſpitibus viſa enarrat, mentíque precanti
Oblata, & ſcriptos alto ſub pectore ſenſus.
Exurgunt ſpiſſæ pratis vernantibus herbæ,
Luxuriantur agris, zephyro ludente comantes
Incumbunt,vicibúſque ſuis ſtant vertice recto.
Sponte ſua tellus florem inter gramina pinxit,
Et fulget veſtem vario radiata colore.
Argentum albeſcit, flauum eſt in frondibus aurum,
Cærula ſerta nitent, ſplendet ſidonius ardor
Muricis,& gladiis ſtat ſupra horrentibus Iris.
Mox impendentem dum mente recogito falcem,
Et ferrum fatale herbis, caſuráque ſtirpe
Gramina,& exuuias triſtes, ſiccúmque cadauer.
Hæc reputo ſunt fata hominum,ſic morte ſecante
Flos cadit ætatis, ſic nupta innuptáque paſſim

Occidit, & natis tumulus cum patribus idem eſt,
Cum turba formoſe cades, cum plebe Toparcha;
Germine nec vili nitidam falx ærea florem
Diſtinguet, parili procumbent omnia fato.
Tunc me Herbam inſpicio; tenui ſic viuere filo,
Sic plures inter fragili ſuccreſcere caule,
Sic vernare Deus voluit; ſic falce repentè.
Libatus moriar; ſpolium ſic putre iacebo.
Dein colle exſcendens, quà ſemita florea ducit,
Ad Riuum appropero. Per ſaxa effunditur ægrè
Connitens, tardámque trahens inglorius vndam.
At nuper de monte ruens, niuibúſque liquatis
Turgidus, vndabat ripis, ſonitúque frementi
Vallem obtundebat; ſonitum reddebat imago
Rupea; longè hærent tauri, pauidæque iuuencæ.
Sic modò qui populos ſupremo in Cardine rerum
Frenabat, fluctúſque altos voluebat aquarum,
Fontibus innumeris diues, plenúſque niuoſis
Vorticibus, totóque opibus famoſus in orbe,
Occidit, inque breui ſaxo conſcribitur ingens.
Nunc aurum legite ô miſeri, gaſámque opulenti
Accumulate, inopi ſpolianda cadauera buſto.
Per riuum, montem oppoſitum veſtigia ſignant.
Preſſa comas terram veſtit, capite ardua pinus,
Atque virens hyemes inter, glaciatáque cœli
Frigora, conifero contendit vertice in auras.
O ego perpetuum ſe ſeruem ſi mente virorem,
Per duram ſortem & facilem! ſi Gratia pectus
Imbuat, & totis contendam ad ſidera votis!
Succedunt quercus annoſæ; frondea circùm
Brachia diffundunt ramis ſpatiantibus vmbram.
Subtus terra ſcatet muſco, mollíque vireſcit
Gramine; decumbo, acclinis premo tergore truncum.
Cuncta ſilent; vox nulla ſonat, non bucula mugit,
Non balant agni, volucris non occinit vlla,
Stant frondes, zephyríſque leuis non aggemit aura.
Ah, ſi pacato ſileant ſub pectore venti,
Venti animæ! Dolor, ira metus, rebúſque creatis
Læuè impenſus amor, laudíſque incenſu cupido.

Chri

Christe iube, fiant tranquilla silentia menti.
Formicas simul intueor derepere nigro
Agmine, & ex terra properas succedere trunco.
Ardentes instant operi, scandúntque vicissim,
Præcipitántque viam? trunco granaria fisso
Commutant, fossîsque vehunt humentibus escam,
Sedula thesauros rapiunt animalcula terris,
Et sursum erepunt; Ego stultus homuncio vili
Figor humo; Empyreo nusquámne enitar Olympo!
Hinc pergo, quà me inferius via ducit euntem;
Occurrunt saltus humiles,& cædua silua.
Dum moror; Ecce latens tellure cuniculus alta
Pluribus emergit, pedibúsque incedit iniquis.
Excussura metum turba inspicit, arrigit aures,
Approperat, sistit; primis dein gramina carpit
Dentibus,& tundit repetito pascua morsu.
Mox fugit, & sequitur, sublimis in aëre pendet
Saltibus, & ludens se frondibus implicat vltrò.
Spectantem interea tenet opportuna voluptas.
Incauto excutitur subita tussedine pectus;
Turba fugit, gradibúsque citis se condit in antra,
Nimirum sic vna dies, sic auferet hora,
Blandimenta voluptatum, lusúsque placentes;
Gaudia sic fugiunt; sic quod placet, euanescit.
Conuerto aspectum; ramus cùm fortè mouetur
Proximus,& tenui diuerberat aëra pulsu.
Accedo,& frondem amoueo: Philomela fouebat
Implumem nidum; calido sub pectore pulli
Spissi hærent, pandunt rostella, cibúmque reposcunt,
Ast me illa inspexit,nequaquam exterrita, fortem
Fecit amor, rostrum intentat, morsúmque minatur,
Heu ignara sui. Sed parco. Imbellis amore
Tantúmne audet auis? Sic imperterrita mater?
Et Te Numen amo? me prima pericula terrent,
Me labor exhaurit leuior, curæque fatigant
Virtutum Comites, & puræ exordia vitæ.
Ah pudet. Arentes facibus Deus vre medullas.
Regredior. Segetes ornant lata æquora culmis;
Pampinus inuestit colles, subnascitur vua,

Vua racematis variè diſtincta figuris;
Mollior exurgit ramus, lignúmque cohærens
Amplexus, teneris fundit noua vincula palmis.
O ſegetes, vitéſque ſatæ; vos nulla procella
Decutiat, non vredo non grandine miſtus
Imber, nec nimiis amburat ſolibus æſtas.
Creſcite ſic pueri, ſoboles ſic creſcat Amynthæ,
Spe maior teneros virtutibus impleat annos;
Vincite ſpem patris pueri, matríſque puellæ;
Ferte æſtum v tæ glaciémque; aſſueſcite iamiam
Ærumnis; nam vita labor; cui longior, illum
Plura pati, plures docet exſorbere labores.
Et me vrgent anni: properanre ad limina curſu,
Vires adde nouas, Deus optime; ſpiritus alto
Pectore diuinus vigeat, mentémque cadentem
Fulciat, & cœli metas contingere donet.



VMBRA

VMBRAVALLIS

VILLA

AD

LVGDVNVM.

ILLVSTRISSIMO
ET REVERENDISSIMO D.

D. CAMILLO DE NEVF-VILLE

Archiepiſcopo Lugdunenſi, & Proregi in eadem Prouincia &c.

IOANNES DE BVSSIERES *Societatis* IESV, *felicitatem.*

STVDEO, Archiepiſcope Illuſtriſſime, euocare Te in ſeceſſum tuum, & in luce palàm compellare virtutes tuas nondum auſus, amœniſſimum otium priuatum quodammodo Virum aggredior. Non neſcius ſum, quanto amore Vmbrauallẽ tuam proſequeris; ideóque mei conſcius, qui tibi in grauioribus placere haud poſſem, & placere tamen maximoperè

cuperem, argumentum sumpsi, quod seipso placeret, & materiam, quæ artificem commendaret. Scriptis prodent alij, quæ in Te laudatissima sunt; inconcussa Pietas, liberalis Frugalitas, Animus plurimis & difficilimis capacissimus, temperata Affabilitas, Ingenium rationibus feracissimum atque consiliis, amor omnium ordinum in Te collectus; & alia quæ spectantibus sunt admirationi & gaudio: Ego à Te abstinens, ad Vmbrauallem tuam me applico, & cùm grandia nequeam, iucunda scripturus, transfundo me in amœnissimam Villam; ea sanè exornaturus inopiam stili, & geminaturus tuam illam vnam honestissimam voluptatem. Solutæ orationi strictam admiscui; nam ornamenta illa illustriora sunt, quàm vt vno sermonis genere, & pedestri quidem, conscribantur; præterea Natura, quæ in agris tuis vberrima est, debuit pingi Poëticâ copiâ atque vbertate. Mihi, si in Villa & in secessu placuero, propagabitur animus, fiétque confidentior, vt in Vrbis luce Te adeat, dotes summas consideret, tuis fœtus virtutibus effundat se in calamum; stilóque tradat, quod à spectaculo Tui hauserit. Viue & Faue.

VIATO

VIATORI, VMBRAVALLEM INVISENTI, INTRODVCTIO.

Quà lentus Arar ambiguo fluctu aquas voluit, & captus amœnitate riparum, hærenti similis tardus incedit, villis haud paucis hinc inde prætexitur. Naturam dixeris prælusisse Arti, & in amnis speculo, viriditate pratorum, nemorum comâ, propagine vitium, luxurie segetum, ostendisse mortalibus, quid amarent; quid colerent. Tam fœlici solo, prono amne vehentibus, sexto supra Lugdunum vrbem milliari, spectatur ad læuam in humili colle Vmbrauallis. Est quidem pagus Vimiacus nomine paulò inferior, sed eo relicto, oculos & vestigia conuerte in ædes, quibus magnus Hospes celebritatem amando contulit. Nec in ipso limine abstinere possum à carmine.

Ornatas ædes nam quis nouus incolit Hospes?
Quis speciem lucémque dedit? modò condita surgunt
Atria, & ignoto Naïs se tramite fundit,
Hic visura diem; fructum Pomona recentem
Induit, ac longo splendent viridaria colle.
Scilicet exultans famulatur terra Camillo,
Hospitiúmque parat: gaudent Elementa, labores,
Magne Hospes, mollire tuos, atque otia iusta
Pangere, sollicito tranquillum & reddere Lugdo.

Quanquam per curulē portam subeunti pateat domus interior, demissóq; pōte sublicio fossa sternatur, nec admotus Heluetius arceat aditum, si me audis, abstinebis ingressu, nec tam

citus inuiſes Dominum liquidam voluptatem ſeponens ad exitum. Eum enim ſemel ſi adiueris, amœnitates ruſticæ minùs te capient, delinitum ſuauitate colloquij, & admirabilitate viri abreptum. Oblectationi ruris, Vir ſummus officit; deguſtatus animus, cæterarum rerum faſtidium parit, ſuáſque ædes Herus fulgens obſcurat. Ductore me ſequere, agam per ſingula, & quã aliquoties hauſi voluptatẽ, aperiam; ſuáſque in partes diſtribuã.

Igitur omiſſis ædibus, poſtquam fontem inſpexeris, labro exceptum æneo, ſiphunculis pluribus emittentibus, deflecte ad læuam. Vltra dum pergis, ingens area conſcribet oculos, horto ſubiecta, amníque imminens. Præter buxum, nihil hic Arti, Natura debuit, ſui tota eſt compos? & quanquàm in ambulationes pluréſque areolas deſignante buxo, ager deſcriptus ſit; pauciſſima tamen illi imperantur, ruſticari hîc naturæ fas eſt; at verò decenter, & oppreſsâ luxurie, ne quid veſtigia aſpectúmve oblædat. Nec illa conqueritur, quòd in tres crateres, & ampliſſimos quidem, aquarum copia deriuata ſit: criſtallum limpidiſſimum ſtagnat in marmore; vnde læto prorumpens impetu iactus, altè aërem verberat; mox in ſtillas ſparſus, reſtituitur fonti. Ludentibus Cygnis fons hoſpitium eſt, amnis natantibus, alimentum piſcantibus, redamantibus ſpeculum. Et oblectabit ſpectantem luſus ille doctarum auium? (eæ quippe Vatibus & Apollini ſacræ) ſiue capite erecto, eminentibus aquâ candidiſſimis plumis, leui pedum motu, veluti automata, ſe in vndis mouent; ſiue lato roſtro & oblongo collo, imminentes prædæ, corpore immerſo, piſciculos captant, ſpectandi ſummis duntaxat pedibus; mox emergentes artubus ſiccis; quaſi cerato pallio obuelante; ſiue correpti amore mutuo ſe in vices fugiunt & ſequuntur, ſeu ſubirati, temerè accedentes verberant alâ, & ariete plumeo humi ſternunt. Aqua ſtagnans vbi ſe diutius in fontes collegit, rurſum fuſa in venulas, herbas fouet agrúmque intimum fluxu amplexa, mox immittitur Arari.

Tu vitro fons ſplendidior, cingente coronâ
Marmoreâ nitidas, fies mihi nobilis vnda.
Si modò Pierides non excluſere Poëtam
Fonte ſuo, fluctúſque ſacros contingere donant.
Circùm Aura ludunt tepidæ, gaudéntque madere
Proſilientis aquæ ſtillis, dum frigora captant.
Mollia quin Eurus Zephyrúſque in flamina verſi,

Hinc

Hinc inde humorem expellunt, pennásque vicissim
Mersant vorticibus: pugnas videt altus Olympo
Sol faciles, pingitque suos in fluctibus Arcus.
Exspatiantur aquis medio in certamine Cygni,
Alisque exagitant ventos, iráque fruuntur
Pugnantum, remis stantes velisque sequuti.
Quin & mirantur, quis se color induit vndis
Tam vario textu, subitâ tam splendibus arte
Illa die. Sua sunt etiam spectacula nocti,
Gaudiáque, & puro conspirant sidera fonti.
Postquam Luna polo candentem argentea frontem
Explicuit, ventique iras posuêre silentes:
Naiades ex Arari, suras & brachia nuda,
Succintaque stolas, trepidant agitare choreas,
Gramina per mollésque herbas, in margine fontis:
Nec Faunos Satyrósve timent: nam tecta pudica
Horret turba procax; salientum è plausibus humor
Liquitur, & siccis stillans infunditur herbis.
Nunc toto pronæ in latices se corpore mergunt,
Depurgántque amnem lutulentum; hinc ora fluentis
Pulchra nitent; clarâ fulgent in imagine vultus.
Inuida respectat Phœbe, maculásque latentes
Abluat; igniferi prohibet regnator Olympi.

Ad læuam & dexteram, Ambulacra duo sunt; Suâ quæque insignia venustate. Alterum longâ latáque pergulâ inumbratur, cui Gelsominum tantâ copiâ, tam spissum incumbit, vt exclusi penitus radij solis, non peruadant ad intima, frigidiusculo aëre inter sæuientes æstus, tuto sub pergulâ. Et spectaculum est, quod intuentium teneat oculos, cùm in candidos flores frutex erumpit, suauissimâ illâ vernantes inter frondes candoris misturâ; præterea luce solis irradiante & quodammodò inaurante colores iucundissimos, vt smaragdis auro & argento in pergula non modò pictis, sed quod longè elegãtius est viuentibus; Natura artifex suam hic operam & opulentiam vincat. Nam quæ fodinæ auri, & gemmarum, odorem exhalẽt tam suauem atque ambrosium, qualis percipitur ex gemmato illo vmbraculo? Accedit etiam pergulæ firmitas, & diuturnitas; nam perticæ quibus tota contexitur, & curuatur in fornicem, erro cõstant, clauis trabalibus inter se connexæ; ne laborante

fulcro laboraret amœnitas, & decumberet frutex ligno innixus. Sic Naturam emendauit Ars atque communiuit, dedítque arbusculæ humili admodùm atque infirmæ, vt stabilitate ilices vincat. Ad ambulacrum sepositum est spatium muro sejunctum, Tuberosis consitum atque oppletum (ita flores vocant, sublimi, & viridi caudice eminentes, oblongis caliculis, & liliorum instar candentibus, effundentes, odorem suauissimum) quarum fragrantia dum ad ambulantes dimanat, & cum Gelsomino cõfunditur; næ ij surculos felicis Arabiæ, aut maris electrum pretiosissimum, odorari se putant atque percipere.

Inde ad dexteram si diuertas, excipiet te inambulatio commoda, sub dio, auræ liberæ, ac præalto muro in orientem solem defensa. Hic æstare hauseris matutinum frigus, & medius fontes inter exsilientes; arbusculas viridantes, zephyrorum flatus, & serenum cœlum, nascentis Auroræ suauitatem in diem multa protraxeris. Est etiam sua muro iucunditas, quæ oculos pascat & palatum: Nam arborum fœlicium rami, intertexti mirificè, ac pedamentis affixi, quà murus deducitur, peristromate viuo saxa insternunt, ac fructus speciosissimos porrigunt. Pomis, Pyris, ac Persicis duracinis, saporis suauissimi, & prægrandis molis, ditescunt arbusculæ; est ad manum quod legas, est quo volam impleas; miscentur pulcherrimè colores venustissimi, & qui Vere rami pinxerant flores, Autumno induunt fructus, & proferunt.

Vbi ambulatio desinit, ædificium surgit, humile quidem, sed distinctum commodè & instructum. Id Phasianis, peregrinis auibus alendis impenditur, quales sunt Africanæ perdices atque gallinæ; adhibendæ mensis quibus excipitur hospes nobilior, industriâ magnificentiam promouente, & regionis sterilitatem supplente. Non iniucundè spectabis formosissimas aues, intermicantes aureis plumis, serto cæruleo erectas capita, & gemmeos oculos orbe coccineo circumcinctas: quibus pro siluis horridis desertísque montibus, nidi parati sunt, cubilia, victus, gignendæ, & educandæ prolis ratio facilis.

Quis pictas volucres de flumine Phasidis egit,
Demulsitque feras? faciles spectacula plumæ
Ostentant, gemmas oculorum, orbésque nitentes?
Nec curant amnis ripas, tutósque recessus:
Vt placeant Domino, naturæ nempe suique

Im

Immemores, terram externam & noua sidera norunt.
Frugifer est paries, fœcundis stromata saxis
Collucent, murúmque nitens Pomona colorat;
Certatim poma arrepunt, & Persica magna
Mista pyris, succúmque bibunt, molémque figurant.
Debilis immenso nutat sub pondere ramus,
Allectátque oculos pronus, dextrámque legentis.
Scilicet excoquitur maturis solibus hortus
Pensilis? incendit paries, æstúmque reflectit.
Sunt etiam illustres tenebræ, sub sole calente
Nox secura latet, seséque illuminat audax.
Gelsominum ferro incumbit, sub vimine sedes
Stant fragili æternæ? funduntur mollia circùm
Brachia? claui hærent, & ahenea pertica fulcit.
Hinc pandi flos tutus amat, fulcróque rependit
Ornatum; vernat ferrum, florétque metallum.
Infensum ridet zephyrus sub fornice solem,
Nec timet hostiles Hyacinto perfidus iras?
Vernantem obtendit clypeum, radiósque retundit.
Carcere mox grato, Phœbo occumbente, solutus,
Hinc vagus inuisit flores, hinc fontibus auram
Miscet amans: suaui Tuberrosa fragrat odore,
Exultat lympha exiliens, mollique susurro
Garrula, diffundit stillas, & in aëre pendet.

Postquam Phasianorum domum inuiseris, per porticum fornicatam in hortum conscende. Nam lato muro separatur hortus ab areâ, qui perfossus admittit hospitem, mox per gradus commodos in hortum emittit. Nec ipsa porticus venustate vacat, vt vel ipsa terræ viscera, & penetralia formositatem suam habeant. Etenim spelunca in interiori parte aptata est, quæ Naturam arte industria æmulatur, conchis appositis, & musiuo opere glutinatis; quanquam ars Naturam vincit, figuris ex concharum varietate depictis, & natiuis coloribus vestitos homines, & animantia referentibus. At nescias stillantes affatim aquas, cui debeas, arti an Naturæ; tam peritè artifex vel peregrinas elicuit, vel latentes aperuit: suósque testis fontes attribuit, eos sanè subiecto labro exceptos, dignum censeas Narcissi speculum. Et geminæ sunt speluncæ, mirâ arte & varietate formatæ.

Includit quas murus opes! quam diuite gasâ
Saxa scatent! taceat regio Peruuina fodinas,
Nobilius cœnum, & raptum de rupibus aurum
Hic terra spolia & ponti miro ordine cernis
Composita; hic conchas Titon industrius aptat;
Hic Neptunus aquas; picturam hic docta Minerua
Atque artem confert. Conchâ hâc velit indica nasci
Margaris, & grato fontis concrescere rore.
Sæpius hoc deffessus Arar decumbit in antro,
Miratus fontem nitidum, & conchylia picta;
Et quanquam Nerei vitreas spectauerit ædes
Sub pelago, rutilans aurum, roseúmque corallum,
Spelæi anteferat frigus, limphæque nitorem.

Ab eâ porticu per erectos gradus, in hortum euades. Surgit agger terreus, & excurrit in subiectum agrum effuso spatio. In eo consita olera, distinctæ molli limbo areolæ, ampla ambulacra, fons erumpens, ac puluini halantes floribus. Vbi varietate herbarum visum refeceris, rapiet oculos fons obiectus, siphone medio in sublime prosiliens, aliísque minoribus crateri marmoreo restitutus. Et promouet voluptatem vtilitas, aquâ fontanâ imbrium copiam repræsentante, dum per canales sæuiente æstu deriuatur, & ducta in areolas vitam confert oleribus. Ambulantibus aër inspiratur defœcatus atque purissimus; decurritque aspectus longiùs, quà se amnis flectit, & ripas alluit, & quà vltra amnem interiectæ collibus valles, intertexta pratulis nemora, interfusæ vitibus segetes, alliciunt oculos, promouent effusiùs, ac blandè fatigatione nulla conscribunt. Eminet supra hortum Floræ delicium. Sepositos puluinos sic nuncupo; in quibus flores speciosissimi à primo Vere, ad æstatem mediam continuata serie illuminantur. Nec petendi à subiecto fonte longius rores; cùm puluinos singulos intercurrat suus canalis è lapide, & aquarum fugientium ferax, ad nutum moderantis dispenset rorem atque aspergínem.

Supra amnem, vallémque humilem, stat terreus agger,
Complanátque humerum montis: purissimus æther
Spiratur; nebularum infra globus albicat ingens.
Hinc oculis spatium immensum, quà luce cadente
Phœbus agit currum, & præceps se condit in æquor.

Solem

Solem ipsum gaudent oculi prauertere cursu,
Sideris emensi stadium, terrísque & Olympo
Momento excurrunt, dum lentior vrget Apollo
Ignipedes; tardúsque polo rapiente mouetur.
Vernat olus, terrámque capax inuestit apertam;
Prætexit limbus, Casia Rorísque marini,
Serpyllique viror; patet amplo semita tractu;
In medio viror exundat, lucéntque tapetes.
Fons salit, & facili partitur flumine vitam:
Diducto nil fonte peri, sibi fluctus en vsus
Sufficit irriguos, crateríque amplior vndat.
Nimirum venis subterlabentibus, amnis
Æmulus æterni, fons limphis prorogat æuum
Perpetuus, cursúsque tenax olera herbida pascit.
Astra solum pingunt, & cœlo lapsa sereno
Floribus immutant sese, Vestámque coronant.
Non mihi si calami centum, si Mantua vocem
Præbeat, aut vatem in carmen Trinacria mittat;
Vos ego depingam, vernæ spectacula pompæ,
Et Floræ curantis amor. Quos ore colores
Induitis! viuo splendent quàm murice frondes!
Quàm nitet argentum! flauum quàm fulgurat aurum!
Vt tota areolis halat Panchaia vestris!
Et circum ambrosium foliis effundit odorem!
Vere nouo lucent flores, & vere cadente
Stant flores, primam æstatem non florea pubes
Deserit, & mediam florentia gramina cingunt;
Et quanquam ignicomo letalis Sirius astro
Vritur, & siccos torrent incendia campos,
Pictus gemmat ager, florendi tanta cupido est.
Lympha fugax hilarat trepidanti germina riuo,
Séque vagis pingit diffusa coloribus; vnda
Florea fit; florum populus nutritur ab vndâ.
Crescite Narcissi, Tulipæ; succrescite Calta,
Puniceaque Rosæ; lapsis Anemonibus Iris
Succedat fulgens, pigmentáque gemmea ducat,
Quæ nec Parrhasius fingat, nec Coüs Apelles.
Crescetis Domino, digno cui sidera lucem
Impendant, & terra ferax dona aurea promat.

Ab Horto per posticum in Ferarum septum peruades. Sed antè in immensum æquor quàm te committas, deflecte ad læuam, pomarium geminum inuisurus. In vtroque frugiferæ arbores surgunt, in quincuncem directæ, & porrectæ in spatium alendorum fructuum capax. Solum vtrobique ramis fœlicibus inumbratur, à primis cerasis ad extrema Pyra, sua frondi copia, & suus fructus est, à vere medio ad autumni metas, est in arboribus Domino quod spectet & legat. In multiplici similitudine discrimen vnum est: quod in altero è viridariis, ad nutum Naturæ arbores surgunt ac spatiantur, excurrente frondium proceritate, & diffusâ luxurie; in altero ramorum vertex reciditur, castigatur natura, addensatur feracitas, & coërcito incremento, tota arbor ad nani staturam cogitur. Inuentum agriculturæ mirabile, quo legentium labori parcitur, voluptati consulitur, & ramorum vno detrimento par copia fructuum gignitur; iique admouentur ita ad manum vti ad oculos. In agro seposito seminarium crescit, insitis modo multiplici surculis, & in spem fructus vestientibus frondem. Nec præteribis aureas malos, vernantibus semper ac pictis foliis; suis quidem capsis erumpentes, sed altis ramis atque propatulis, educantibus odoratissimum florem, ac venustissimum pomum alentibus.

Hic Pomona tuis vestit se frondibus arbos,
Certatim hic tua dona nitent. Quid singula dicam?
Quis varias possit conscribere carmine formas,
Picta cutem poma extremam, gratósque sapores?
Vt primùm gelidis sol aureus emicat aruis,
Iámque Aries ardet, Naturáque tota virescit,
Erumqunt gemmæ, prodit se turgidus humor
Brachia per totósque artus, digitósque micantes.
Nobilis inde tumor florem parit, vndique serta.
Floribus illucent: miratur Flora colores,
Séque putet vinci; ramos nisi vestiat ipsa.
Circùm aër fusus, nitido candore coruscat,
Murice purpureo fulget, sublustri amethysto
Pingitur, & vini rutilum bibit aura nitorem.
Succedunt folia, & ramis vernantibus vnus
Est color; in viridi Pomona refulget amictu.
Quàm varius gratúsque viror! dilutior illic

Emicat,

Emicat, hic fuscus; glauco noua prænitet arbor,
Hæc prasino, vitream Nerei petit illa colorem,
Ærugo hanc tingit: nihil est diuersius vno.
Dein fructus sese expandunt; sublimis Olympo
Excoquit humorem, & succum maturat ab æstu
Sol radians, calor imbuitur, sapor abditus intra
Crescit, & incoctis splendent viridaria pomis.
Vna Arbor frondes, fructus & florea miscet
Dona simul; fulgent ramis argentea dona,
Aureáque, & vincunt hyemes viridantia dona.
O speciosa arbos! seu te conseuerit hortus
Hesperidum, & rutilo conflarit poma metallo;
Præmia seu Veneri fueris, currenti Atalantæ
Seu remora, Alcinoï seu te pomaria pangant?
Sis felix, longúmque virens diffundere in æuum.
Vos etiam nani pumilo sub vertice trunci,
In flores fructúsque itis, nec falce supinâ
Decussi, curta cepistis tædia vitæ.
Quin etiam ramus spatio breuiore coactus,
Potteri *tua cura, ferax succum ebibit altè*
Fœnúsque approperat, primis maturior annis.
Vertumnus nuper tentando hanc extudit artem,
Naturam lusit, vana incrementa fefellit,
Et resecans maiora dedit. Iam parturit arbor.
Nata recens, premitúrque tener sub pondere ramus.
Ingentes quærit frondes Natura, nec vsquam
Inuenit; adstricto stupuit noua brachia gyro.
Sed breuis est ætas, & sunt compendia vitæ,
Quæ fuerant fructus. Nempe hanc mortalia legem
Accipiunt; citò denasci, vel non cito nasci.

Ingressus in septum putabis te emissum in apertos campos. Etenim ager feracitati suæ permissus, prata, siluas, nemora, suos etiam rubos & dumeta alit. Emendauit tamen Naturam cultor; prata conserendo herbâ medicâ, atque trifolio, depurgando siluarum semitas, & eruncando quod arceret vestigia, & aspectũ læderet. Riuus in flexuosas ripas deductus, per immensũ spatiũ aquas vehit, séque incolumis pratis, & siluis largitur. At tanto in spatio, scito te inclusum, & carcerem esse, iucundissimum locum in quo agis. Nempe murus cæmento, & lapide exædi

exædificatus,aliquot milliaria amplexus circuitu, per vallium concaua,per eminentia montium dorſa,per rupium confragoſos ductus,agrum cingit,& tutelam præſtat,dum concludit. Nã tibi aſilum eſt, feris belluis carcer,ceruis & capreis,quos vallo cinctos,arcet ab exitu. Quanquam & iis aſilum eſt,ac tutiſſima ſtatio, quibus intra ſeptum ſalus ſecura eſt, paratus victus, & cubilia præbita : nec incumbit periculum,niſi erumpentibus ; adeò Dominus ſuis commodus eſt,nihilque famulantibus nocentius eſt, quam famulari ſi deſinant.

Ludite ſecura ſepto munimine ceruæ.
Nulla pericla latent, quamquam vos ſaxea cingat
Formido, & propiùs claudant ſua tecta moloſſos.
Paſcite naſcentes herbas, impendite curas
Fœtibus: incluſas Domini tutela fouebit.
Actæon hic tutus aget. Iuuat ire per ampla
Æquora camporum, ſiluarum frigus opacum
Captare, & puris æſtum deponere lymphis:
Non intercipiet capreas lupus, obuia nuſquam
Venantum tela; inſidiæ nec ſaltibus vllæ.
At circumpoſitis haudquaquam erumpite clauſtris,
Improba libertas vos non agat; oſtia ſtate
Tecta intra. Fruſtra curſu contenditis Euro
Alipedes cerui; ſi vos ſemel oſtia mittant;
Væ miſeris; captam dabitis cum ſanguine vitam.

Cùm aliquandiu ſiluas inter & prata deambulaueris, refeceris oculos aſpectu vario, ſpectaueris ceruum ludentem aut capream, ad dexteram verſus, commodiſſimum ad quietem locum inuenies, ſedémque leuandæ fatigationi aptiſſimam. Iacet ingens ſtagnum, circumcluſum vndique collibus, niſi quòd ad Septemtrionem agger erectus,aquam vincit,ſoluítque, cùm libuit. Ligneum pagma cum ſedilibus imminet ſtagno; hìc ſi conſederis, ſpectaculum longè iucundiſſimum hauries, & ipſe fateor,nullum mihi locum,dum viuo & ſpiro, magis ad colligendum animum placuiſſe Circùm proximi colles veſtiuntur nemoribus,arborum rami aquis incumbunt; ſupra colles præter ruinam caſtelli veteris, cœlum vnum ſpectatur? infra limpidiſſimas aquas nullus ventus, nullus fluctus mouet; nullum ſonum,ſtrepitum nullum obaudis;garriunt quidem in frondium tectis auiculæ, aut paluſtres ludunt natantes inter piſciculos;ſed attentam cogitationem nihil diſiicicet; pulcher-

rimas res meditantem iuuabunt. Tu dum ad spectaculum confides, fabellam audi, quam narro.

Quà sedet hic fluctus, latè stagnantibus vndis,
Quondam terra fuit: si vera est fama, domandis
Nobile Equis spatium, & freno virgáque regendis.
Arcem Montanium, summo qua colle ruinam
Iamdudum traxit, fortissimus Ancus habebat.
Sæpius Hippodromo solitus versare superbos
Quadrupedes, doctáque rudes formare palæstrâ,
Is postquam ad Solymam, socius non impiger armis
Bullonio, forti tractat dum prælia dextra,
Occidit, & sacro posuit sub vulnere vitam,
Sola domi Coniux, lacrymis solata dolorem,
Iustina hærebat, viduo lugente cubili.
Quamquam lustra quater, nondum decurrerat ætas.
Vnus at in cunis, teneris vagitibus infans
Calliopus, matri longi solatia luctus,
Ore Patrem referens, magnum lactabat amorem.
Spes ingens, crescit natus, pia gaudia crescunt.
Destinat hunc ardens Solymæa in prælia mater,
Vel patris vltorem, vel iturum in laudis auita
Nomina; fama vocat, Martísque incensa cupido.
Iam ter Calliopus quinos numerauerat annos,
Votáque vincebat matris: tunc fortè premebat
Alipedem, gyrósque arctos cogebat inire;
Adstabat Ductor, virgâ præeunte magistrâ.
Ecce Equus, admorsis furiali dente lupatis,
In palum ruit oppositum; capite arduus ictus
Procumbit puer, & cerebro cum sanguine fuso
Spargit humum, vitámque breuem diffundit in auras.
At postquam genitrix spectat miseranda cadauer,
Deliquiúmque animi patitur, complexa cruentas
Reliquias, tandem in lacrymis sic ore loquuta est.
Hunc te ego, Calliope, aspicio? sic redditus, imples
Spem matris? cura huc vigiles recidere, precésque?
At non deliciis mater te mollis alebam,
Blanda voluptatam tibi nec contagia feci:
Scis Deus, vt puerum sacrosancta in bella parabam,
Ornabámque tibi pugilem. Num pulchriùs arma

Sacra

Sacra inter, galeam Saraceno sanguine tinctus,
Si periturus erat, fato periisset honesto?
Nunc inhonorus obit, maternáque brachia tabo
Inficit, abiecto visurus funere manes.
Sæpius ista gemens, fletúque implebat amaro
Crebra locum mortis, pulsabat & æthera planctu.
Tandem arent lacrymæ: sed non dolor intimus aret,
Sæuior exurgit, sumitque à tempore vires.
Se miseram incusat, lacrymas planctúmque reposcit,
Cúmque dolor perstet, testes petit illa doloris.
Audit vota Deus: seu per miracula vincat
Naturam, seu Naturam ad miracula cogat.
Nocte intempestâ, terra intremit, erutus altis
Visceribus lacus erumpit, stagnáque refusus.
Prodigium Iustina videt, natásque dolori
Gratatur lacrymas, nitidas mox semper ad vndas
Et venit; & stagnum fletus putat esse gementis
Naturæ; séque hoc euentu fallit amantem.

Ab suauissimo stagni spectaculo Domum venienti, longa & amœna ambulatio patet. Ea in millenos passus diffusa, proceris Vlmis hinc inde inumbrantibus viam, ingredientes deducit commodè, & iucundè. Siquidem præterquam quod in multam diem ab Aurorâ primâ æstus infringitur, proceritas arborum luci non officit, vacuo inter truncos spatio, per quod lux subeat, & affletur aura frigidior. Solem ad læuam, collis modicus tegit, quà sidus oritur, & riuus aquam vberem vehens, per lapideum effluens alueum, fluido limbo ambulacrum prætexit, effusus identidem in ampliores crateres. Ad dexteram molli cliuo in subiecta prata limes excurrit; eáque viridantia continuâ serie à stagni faucibus porriguntur ad Ararim, vtrinque affatim irrigata, substrato oculis speciosissimo tapetio, quod Arabica vincat & Persica.

Consurgunt tiliæ, geminato in margine versu,
Porrectæ spatio immenso, radicibus imis
Terram amplectuntur, feriúntque cacumine nubes,
Frondosis circum funduntur in aere ramis
Intexúntque vmbram foliis; suprà irritus æstum
Sol quatit, vmbrosâ zephyrus spatiatur in aulâ.
Insonat è ramis planctu Philomela canoro,

Ni

Nidúmque ædificat, miſcet certamina cantor
Plumeus, exili fundens de gutture queſtus
(Siue dolore actus, ſeu zelo, aut tactus amore)
Mirificos, centúmque ſonos vox evibrat vna.
Ora tenent circùm volucres atque auribus hærent.
At non Nympha loquax, extrema vocis imago,
Conticuit, mediâ reſonans de rupe loquuta eſt,
Exhibuitque ſonos: iámque indignatur aëdon
Æmulus, arguto modulans noua ſibila cantu,
Fitque hoſtis ſuus, & victor ſeſe ipſe laceſsit.
Hinc riuus celeri tilias præterfluit vndâ
Maturátque fugam: flumen piget ire canali
Saxeo, & admotos non interuiſere truncos.
Quanquam obſtat fugienti arbor, frondéſque caducas
Ingerit, & molli concludit ab aggere fluctum.
Prata infra vernant, ſublimes ſtripibus herbæ
Luxuriant, facili ductu diſpergitur humor,
Infunditque animam: lucent ſuper herbea flores
Agmina, cærulei, candentes, lutea picti
Ora croco, Tyrióque nitent in murice tincti.

Per amœniſſimam ambulationem proprius te ad ædes optatiſſimas cõferes. Ac primò in Equile incurres, amplum, commodum, inſtructúmque ſuis inſtrumentis. Plurimorum equorum eſt capax, & quinquagenos laxè contineat. Præclariſſimos illic inſpicies, tum formâ, tum pilo, ad iter aptos, atque ad curſum. Dein progredieris ad venaticos canes, quibus ſua tecta ſuæque ædes ſepoſitæ: quà ingens conclaue in quo aluntur, & ſubſtrato fœno ad ſomnum incubant; quà ſeductum atrium, vbi curantur morbo affecti, & remediis ac commodiori victu recreandi. Aliquot videas indagatores, qui ceruos è latibulis excitent; pleroſque ſecutores, qui currentem feram aſſequantur, & materiam præbeant innoxiæ voluptati. Eâ quippe nobiles Hoſpites amœniſſimus Dominus demulcet aliquoties, eáque pro otio occupationum turbam interiungit.

Lumine purpureo reſerat Titonia cœlum,
Et rorem inſpergit plantis, zephyrúmque laceſſit.
Iam litui crebro percellunt æthera cornu,
Venantúmque cohors tectis ſeſe expedit ardens.
Frena terit ſonipes, turbat pede creber arenam,

Sessorémque optat; currendi tanta libido est.
Turba canum ruit è stabulis; niger ora Melampus;
Argyrus albescens, distinctus tempora flauo
Chrysalus, & rubeas aures Tirintia iactans.
Loro omnes vincti; celeres fert impetus auras
Præripere, & rapidos cursu transcendere ventos.
Ah fugite, ô capreæ; cerui pernicibus alis
Ferte pedes; spatium emensi præcurrite longum;
Pernicies tardos & fata extrema sequentur.
Sed iam venantes cursus rapit, occupat Euros
Acer Equus, præda in canibus diffunditur ardor.
Iam fugiunt oculos, iam nube obuoluitur agmen
Puluereâ, litui feriunt non amplius aures.

Postquam inspexeris instrumenta otij nobilioris, subibis tandem in Domini ædes; & ad ipsum admissus, nihil erit prætereà quod curiosiùs spectes. Nam quanquam ipsam Domum multa conclauia, & ornamenta sua constituant, sic rapieris aspectu Domini atque alloquio, vt aliorum incuriosus, in eam vnam voluptatem intendas. Hâc fruere, quantùm licuerit; Ego deductoris functus officio, ne interpellem suauissimam oblectationem, abstineo pluribus, & me recipiô.

FINIS.